



Specimen juris gentium inaugurale de dominio gentium aquatico

<https://hdl.handle.net/1874/325363>

SPECIMEN

JURIS GENTIUM INAUGURALE

DE DOMINIO GENTIUM AQUATICO;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SIMONIS KARSTEN,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE

IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS RICHARDUS BOER,

ROTTERODAMENSIS.

A. D. XXV M. SEPTEMBRIS, A. MDCCCXLVI, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JUNIOREM.

MDCCCXLVI.

Argumentum adgredior, quod non unius belli causa fuit, et de
quo etiam ab yiris eruditis vario Marte certatum est.

BUNKERSHOEK.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

PARENTS OF THE

CHILDREN

INTROITUS.

Post detectam Americam institutasque sub finem saeculi quarti decimi et initio sequentis maritimas Hispanorum Lusitanorumque expeditiones, hominum opiniones atque variorum populorum commercia quam maxime mutata esse (cujus rei ut finem haud facile quis definiat, ita omnino effectus etiam nunc in oculos cadunt), nemo profecto est, qui neget. Ab eo enim tempore gentes, quae diu a se invicem adeo remotae vixerant, ut altera alterius nomen prorsus ignoraret, mutua navigatione mutuoque commercio junctae sunt. Coloniae in remotissimas Orbis partes deduci coeperunt; divitiis ab Oriente et Occidente in Europam allatis, simplex vitae ratio periit; luxuria magis magisque invaluit; cui ut satisfieri posset, nova inita sunt consilia.

Vixdum autem institutum hoc inter populos commercium brevi magna turbarunt incommoda, orta illa ex invidia prava earum gentium, quae maximas inde consequerantur opes. Ita mox Hispanos inter ac Lusitanos lites ortae sunt et controversiae de mercatura. Utraque enim gens, non contenta quibus jam gaudebat commodis, ea etiam, quae alteri inde proveniebant, tanquam sua sibi vindicare studuit. Hinc lites illae de libera in Oceano, aut saltem in quibusdam ejus partibus navigatione; quae eo pervenerunt, ut tandem inter-

cessione opus fuerit Papae ALEXANDRI VI. Pontifex ille, (tam enim exiguae adhuc fuere notiones juris gentium et tanta erga summum Ecclesiae caput reverentia), bulla quadam Aⁱ 1493 terrarum orbem divisit 1), quae »orbis occidentior concessus est regi Hispanico, ita finiendus, ut linea a polo Arctico ad Antarcticum ducta, quae distaret a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur *de los Azores y Cabo Verde*, centum leucis versus Occidentem et Meridiem res donata parte citeriori terminaretur” 2). Facile vero conjici poterat, reliquas gentes, crescentibus navigatione et commercio cumque iis humanitate, fastosos istos, quibus Hispaniae et Lusitaniae reges privilegia sua niti jactabant, titulos sensim paulatimque non curaturas; quin etiam perscrutata atque detecta eorum levitate, esse rejecturas. — Quam rem eventus docuit. Majores nostri et Britanni primi fuerunt, qui hoc jugum excusserunt, tam vi bellica et necessitate coacti, quam nova doctrinarum atque scientiarum luce adducti, quae saeculo sexto decimo et septimo decimo splendere coepit. Eo enim tempore jurisprudentiae studium novam quasi vitam accepisse merito dici potest. Viri docti, quales ALBERICUS GENTILIS 3) (1551—1611), SUAREZ (1548—1617), VASQUEZ (1509—1566), SELDENUS (1584—1654), ZOUCHAEUS (1590—1660) alique huic scientiae majori minorive successu operam dederunt. Sed imprimis GROTIUS noster (1625—1673) hujus disciplinae studio tantam sibi acquisivit gloriam, ut ejus nomen immortalitati sit consecratum. Qui quidem omnes, maxime vero GROTIUS, id egerant, ut jurisprudentiae, praesertim

1) WHEATON, *Elements of International Law*. Vol. I. p. 208.

2) SELDENI *Mare Clausum* Lib. I. c. 22.

3) VON OMPEDA, *Litteratur des gesammten Völkerrechts*. p. 166. sqq. de Grotio. p. 174. sqq.

quatenus tempore, quo vivebant, gentium complecteretur munera et officia erga se invicem, firma atque immutabilia subjicerent fundamenta; quae quidem in illo quaesiverunt jure, quod veteres jam philosophi et legumlatores dixerunt 1) »veram legem, rectam rationem, naturae congruentem,” cet. et CICERO 2), »non scriptam sed natam, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.” — Principia illa magni momenti esse duxerunt necessitudinibus inter gentes, tam in bello paceque 3) quam in navigatione et commercio. Inde fieri non potuit, quin oriretur quaestio, quatenus maria eorumque accessiones, sinus, freta, flumina adeo amnesque, tam necessaria liberae navigationi et commerciis, censi deberent huic illive propria esse genti, an vero, secundum jus naturale, prorsus in nullius dominio bonisque versari. Multis haec quaestio litibus ansam praebuit. Neque mirum, quod privatae utilitatis studium et prava tam populorum quam principum consilia multum fecerint ad quaestionem, per se jam satis intricatam, difficiliorem etiam reddendam, magnamque in opiniones ac scripta doctorum illius temporis virorum vim

1) CICERO, *De Rep.* Lib. III., *de Legg.* Lib. I. c. 5.

2) IDEM, In *Orat. pro Milone.* — De studii juris naturalis praestantia conferre licet CL. CRAS, in *Oratione*, habita Amstelodami. A. 1790. *de dicto Ciceronis*: »non opinione, sed natura jus constitutum esse.” Nec non egregium opusculum, quod inscribitur: *Discours sur l'étude du droit de la nature et des gens*, par J. MACKINTOSH, *traduit de l'Anglais*, par PAUL BOYER COLLARD; Paris 1830. In hoc opusculo GROTII laudes quam maxime efferruntur; sic quoque in opere Americani WHEATON, *Histoire des progrès du droit des gens depuis la paix de Westfalie* etc. p. 14. Vid. etiam *Laudatio HUGONIS GROTII auctore HENRICO CONSTANTINO CRAS*, Amstelaedami 1796.

3) Sic GROTIUS scripsit *de jure belli ac pacis*; GENTILIS, *De jure belli.*

habuerint 1). Omnes illas opiniones hac de re recensere, lites inter populos inde ortas explicare, atque pacta ad eas dirimendas inita enumerare non est hujus loci. Quae autem hactenus memoravimus eo tantum tenderunt, ut pateret quam magni sit momenti quaestio a Facultate Juridica Academiae Lugduno-Batavae, anno superiore proposita: *Quatenus jure gentium cum naturali tum Europaeo aquae gentis sunt, cujus territorium alluunt?* praecipue autem patriae nostrae, regioni labore et perseverantia majorum undis ereptae, quae incrementa sua, divitias, potentiam adeo navigationi commercioque debet; quae unica praesidia ipsi praebent stabilis prosperitatis.

Quaestionis igitur gravitas ac patriae amor nos quoque moverunt, ut illius solutioni vires nostras applicare conati simus, non tamen eo successu, qui, quamvis minime expectatus, tamen admodum nobis gratus fuisset.

Facultas enim, die 9. m. Februarii 1846, judicio dato, neutri quidem responso praemium esse tribuendum censuit, utriusque tamen studii doctrinaeque laudem tribuit. Quod honorificum judicium spem nobis fecit, probante quoque et suadente viro Clarissimo, praeceptore aestumatissimo VREEDE, ut non indigna videretur commentatio nostra, qua, quoad ejus fieri posset emendata, specimine inaugurali uteremur. — In quantum autem hunc finem attigerimus benevolus lector dijudicet, quod ut indulgenter faciat iterum iterumque precamur. Commentationem autem nostram in tres partes distribuimus, quarum prima agit universe

1) PUFENDORF, *Droit de la nature et des gens*; traduit par BARBEYRAC. Liv. IV. Ch. 5. § 4. recte dicit: *«dans cette fameuse dispute (de dominio maris) qui a été poussée avec tant de chaleur par de grands esprits de notre siècle, on a pu remarquer, que plusieurs se sont proposé de soutenir les intérêts de leur patrie, plutôt que de trouver et de défendre la vérité.»*

de dominiorum origine; secunda de quaestione, quatenus aquae gentis sint, cujus territorium alluant secundum jus gentium naturale, ac primo loco quod attinet mare, secundo loco quod flumina; tertia pars versabitur in solvenda quaestione, quatenus aquae gentis sint jure gentium Europaeo; quae etiam, sicut superior pars, in duo dividi potest capita.

PARS PRIMA.

DE DOMINIORUM ORIGINE.

Diu inter doctos acriter est disputatum, quibus modis res hujus terrae initio in possessionem dominiumque privatorum sint redactae. Fuere qui contenderent, primis parentibus a Summo Numine jus fuisse tributum in omnes res sine ullo discrimine; et hoc multis Sacrae Scripturae locis probare conati sunt. Quae res deinde ipsorum filiis hereditatis loco relictae, pro indiviso inter homines possidebantur, donec, aucto hominum numero, divisione aliqua inter eos opus fuerit, quae tacitis vel expressis pactis inita sit. Inter primos qui hanc professi sunt doctrinam fuere GROTIUS et PUFENDORFIUS, quorum sententiae, a multis deinceps probatae, huc fere redeunt: homines initio in communiione quadam bonorum vixisse, atque dominium institutum fuisse divisione, sive expressis verbis sive tacite inita; tali autem divisione ex omnium consensu facta opus fuisse, ut recte dominium constitueretur. GROTIUS 1) hanc sententiam probare studet contendendo, primis hominibus communia fuisse omnia, auctore JUSTINO, dicente: »erant

1) *De jure belli ac pacis*. Lib. II. c. 2 § 2. sqq.

omnia communia et indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium." Crescente autem humano genere, ita pergit GROTIUS, opus erat, ut a primaeva rerum communione, primo mobilium, deinde etiam immobilium recederetur. Sed inde sequitur, ut a communione ista non animi actu tantum recessum sit, sed etiam pacto quodam aut expresso, id est per divisionem, aut tacito, id est per occupationem. PUFENDORFIUS 1) quoque hanc tuetur sententiam; distinguit tamen inter communionem negativam et positivam. Prima significatione res communes sunt, quae nondum talibus hominum actionibus subjacuerunt, ex quibus intelligatur, eas in posterum huic illive soli competere, ita, scilicet, ut alter nullum in eas habeat jus. Hae res sensu negativo dicuntur nullius, non item sensu privativo, hoc est, in nullius adhuc dominium pervenerunt; ex quo tamen non sequitur, ut in dominium pervenire non possent. Sunt quasi res in medio unicuique patentes. Res vero communes sensu positivo ita differunt a rebus propriis, ut non uni homini, sed pluribus pro indiviso competant. Ad dominium acquirendum opus est facto hominis atque tacita vel expressa aliqua conventionione. Quibus positis sequitur, ut antequam tales initae sint conventioniones de bonorum divisione, omnes res in communione fuerint negativa, ex qua cum homines omnia capere atque in dominium redigere debuerint, statuendum est, omnes ab initio inter se convenisse, ut, si quis rem aliquam sibi subjecisset animo eam sibi habendi, nemini liceret ei hanc surripere; hac tamen lege, ut ipsa earum rerum materies, quae usu non consumuntur, semper in communione maneret. Ita fere GROTIUS et PUFENDORFIUS ratiocinati sunt, quorum sententiam

1) *Droit de la nature et des gens*. L. IV. Ch. 4. § 2.

multi secuti. VELTHUYSEN 1) eo quidem pervenit, ut occupationem jus aliquod dare posse, prorsus negaret. Sed ne longiores simus, reliquorum opiniones missas faciamus et exponamus opinionem multorum de jure naturae ac gentium scriptorum, qui prorsus aliter hac de re cogitarunt et pro communione honorum communionem quandam jurium intelligere maluerunt. Negamus cum COCCEJO 2), primis illis temporibus ullum fuisse jus hereditarium, quo res primis hominibus concessae transferrentur in progeniem, cum, uti recte demonstrat, hoc jus hereditatis institutum sit juris civilis, atque potius cum eo statuimus, initio res nullius fuisse et singulatim occupatione in hominum pervenisse dominium 3). Vera enim bonorum communio ne cogitari quidem potest; nam si una eademque res pluribus esset communis, singulis non amplius competeret facultas, ea pro lubitu utendi, et concursu sociorum restricta foret illa facultas, cum in re communi melior sit prohibentis conditio. Assumpta vera bonorum communione, insula e. g. in oceano detecta, non cederet primo occupanti, sed omnes terrae populi cum eo agere possent de communi dividendo, quod omni prorsus sensu carere nemo est quin videat. Cum igitur ex his satis pateat, initio res non fuisse communes omnibus, nec quemquam rem aliquam habuisse propriam, sequi debet, ut res omnes fuerint nullius, h. e. quae in nullius bonis aut potestate essent. Cum autem Deus toti humano generi tribuerit jus res illas sibi subjiciendi atque in usum suum convertendi, primi homines

1) In opere, quod inscribitur: *de principiis justitiae et decori*. Inveniuntur ejus sententiae apud PUFENDORFIUM. O. I. — Nuperrime hanc sententiam tueri videtur Cl. WARNKÖNIG, *Rechtsphilosophie als Naturlehre des Rechts*.

2) COCCEJUS *ad* GROTIUM, Lib. I. c. 2. § 11. propos. 6.

3) IDEM, I. I.

vixisse videntur in communiōe quadam jurium in omnia terrae bona, quae tunc nemini adhuc propria fuere; quod COCCEJUS ita exprimit: »Erant omnia communia, non quoad proprietatem, sed quoad facultatem occupandi. — Unusquisque enim hominum pro indiviso jus habebat rebus terrae utendi.» Quam sententiam idem auctor fusius exponit, dicens, esse duplicem communionem; scil. quando dominium rei pluribus commune est, aut quando adest communio facultatis agendi, cum pluribus libertas aequalis agendi competit, et posteriorem illam communionem fatetur solam priscis illis temporibus posse cogitari 1). — Vidimus igitur, homines eodem jure uti in omnes terrae res. Jam quibus modis res illas sibi acquirunt? Sequamur tantum naturalem rerum cursum, et dominiū originem naturali eoque rei congruenti modo locum habuisse videbimus. Primi homines, pauciores numero, parvo contenti, initio profecto omnia invenerunt, quae ad vitam sustentandam necesse essent. Sed voluntas illa non sufficiebat 2); accedere debebant conatus laborque, quibus quis rem aliquam sibi compararet, et ita occupatione rerum, quae antea nullius fuerunt, dominium alicui acquisitum aliisque earum rerum usus interdictus est. Operae pretium videtur ipsius LOCKII verba addere 3), qui hoc admodum clare ostendit, dicens: »*He that is nourished by the acorns he picked up under an oak or the apples he gathered from the trees in the wood, has certainly appropriated them to*

1) COCCEJUS ad GROTIUM. Lib. II. c. 2. § 2 et 4.

2) NETTELBLADT, *Systema elementare universae jurisprudentiae naturalis*. Halae 1749. § 113.

3) JOHN LOCKE, *Treatise of civil government*. § 28. Eodem fere modo argumentatur BARBEYRAC in annot. ad interpretationem FRANCICAM PUFENDORFII operis *de jure naturae ac gentium*. Cf. omnino Liv. IV. Ch. 4. § 2. note 2. et idem BARBEYRAC, ad GROTIUM. Lib. I. c. 2. § 2. N. 5.

himself. Nobody can deny but the nourishment is his. I ask then when did they begin to be his? When he digested? Or when he eat? Or when he boiled? Or when he picked them up? and it is plain, if the first gathering made them not his, nothing else could." Labor et industria rem propriam fecerunt, et nemo eam alteri sine injuria eripere potest 1), aut eadem re uti; nam sic possessoris libertatem externam turbaret. Occupatione rei nullius nihil aliud fecit possessor, quam jure suo uti, nec cuiquam intulit injuriam. Sequitur inde, ut lex hujus occupandi juris sit, meliorem esse occupantis conditionem, et rem occupatam ab alio eripi non posse 2). Statim enim ac res ab aliquo occupata est, desinit esse res nullius, atque occupantis fit, cui sine summa injuria adimi non posset. GROTIUS hoc agnoscit dicens, »quod quisque in usum suum arripuerat, id ei abripere alter nisi per injuriam non poterat" 3). Ponere etiam possumus, terram hominibus, cum primis temporibus numerus eorum exiguus esset, vitaeque necessaria pauca, satis superque praeberere potuisse, atque igitur non opus fuisse, ut alter alterum in possessione illa turbaret, ut HOBBS contendere voluit, qui primum illum naturae statum bellum omnium in omnes existimavit 4); quam sententiam PUFENDORFIUS etiam videtur secutus 5).

1) GÜNTHER, *Das Europäische Völkerrecht in Friedenszeiten*. Th. II. p. 2.

2) COCCJEUS *ad GROTIUM*. 1. 1. propos. 7.

3) *De jure belli ac pacis*. Lib. II. c. 2. § 2.

4) *De cive*. c. 1. § 6.

5) Dicit enim Liv. IV. Ch. 4. § 6. *Quand deux ou plusieurs personnes avoient besoin en même temps d'une chose, et que chacun la vouloit pour soi, c'étoit une occasion presque infaillible pour en venir aux mains.*

Statuimus igitur ex iis quae diximus, res nullius occupatione in dominium redactas fuisse 1), atque hanc occupationem esse unicum modum originarium, quo quis sibi res nemini proprias subicere posset; quod NETTELBLADT ita exprimit: »modus acquirendi dominium originarius est occupatio, et praeter eum non datur alius 2).” Qua autem in re secutus videtur Romanorum Ictorum sententiam 3), dicentium: »quod ante nullius est naturaliter occupanti conceditur,” 4) et PAULUS Leg. 1 § 1. D. de acq. v. amit. poss: »dominium rerum ex naturali possessione coepisse Nerva filius ait, ejusque rei vestigium remanere in his, quae terra, mari coeloque capiuntur; nam hoc protinus eorum fieri, qui primi possessionem eorum apprehenderint.” Sic etiam CICERO: »privata nulla natura esse, sed veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt.” 5) Res tamen eo modo in possessionem dominiumque redactae semper sub possessore manere debuerunt, vel ut BYNKERSHOEK dicit: »homines debebant incumbere rei 6).” Simul enim ac relictas fuere, ipso jure ad statum rerum nullius redibant, atque

1) COCCJEUS ad GROTIUM. l. 1.

2) *Systema elementare*. § 101.

3) Romanos nempe Ictos possessionem naturalem inter ac civilem accurate distinguisse, optime ostendit celeberrimus VON SAVIGNY, in opere doctissimo, *Das Recht des Besitzes*. Giessen 1818. qui inter alia dicit, p. 24; *der Besitz ist Factum und Recht zugleich*. p. 25: *da der Besitz ursprünglich ein Factum ist, so ist seine Existenz von allen den Regeln unabhängig, welche das Civilrecht oder auch das Jus Gentium über den Erwerb und den Verlust von Rechten aufstellt*. Sic quoque, quae dicuntur p. 75, 91, 110, 136, 165, 191, 192, 197, 226 et 349 observatu sunt dignissima atque ad nostram rem omnino pertinentia.

4) *Tit. I. de rerum divis.*

5) *De Officiis*. Lib. I. c. 7.

6) CORN. V. BYNKERSHOEK, *De dominio Maris* dissertatio. Cap. I. (in ejus *opuse. min.*)

unusquisque denuo eas occupare poterat. — Secundum quem igitur jurisconsultum legibus institutisque juris civilis opus fuit ad majorem stabilitatem et firmitatem dominio tribuendam, inprimis vero ne res semel occupatae, amissa possessione, rursus fierent nullius. Quam sententiam nos etiam libenter accipimus, putantes revera nullum esse dominium, uti hoc jure civili intelligitur, sine legibus institutionibusque, quibus possessionem aliquis tueri potest 1).

Dominium igitur, quod est jus re quadam, exclusis omnibus, plenissime utendi, atque de ea pro lubitu disponendi 2) primario hominum statu acquirebatur occupatione, et adhuc eodem modo acquiritur earum rerum, quae nondum in dominium pervenerunt atque ejusmodi sunt naturae, ut quis earum corporalem apprehensionem tenere possit. In quo admodum differt ab jure imperii, quod acquiri potest, etsi res singulae in dominium venire non possunt, quum in occupatione imperii non requiratur, ut res in corporali nostra potestate constituentur. Quae verba COCCEJI observatu sunt dignissima, cum et nobis videtur in quaestione de maris dominio, vel de alicujus gentis territorio aquatico, nunquam agi posse de jure domini, sensu juris civilis. In mare atque ejus partes tantum cogitari potest imperium, seu quod ab aliis dicitur dominium eminens. Nam etsi gens maris partem occupaverit, atque revera possideat, jura, quae ibi exercere possit, tantum imperii sunt, veluti, ut in hisce partibus caveat, ne commercium illicitum perpetretur, ne naves beligerantium ibi damnum faciant, ne quid peccetur contra politiam medicam, ut salutationes observentur maritimae. Nonne haec jura imperium potius seu dominatum quam

1) Videatur hac de re Cl. WARBKÖNIG. *Rechtsphilosophie als Naturlehre des Rechts*, p. 292 et 327, qui hoc etiam vehementer urget.

2) COCCEJUS, *Novum Syst.* § 237.

dominium referunt? COCCEJUS igitur, e nostra sententia, optime distinguit, quod et GROTIUS fecisse videtur, ubi dicit: »ut autem solum imperium in maris partem sine alia proprietate occupetur, facilius potuit procedere.” Sic HUBERUS etiam de imperio loquitur, praecunte BODINO, qui illa jura ad Majestatica refert. — Cui sententiae quoque favel ORTOLAN, qui nuperrime de hoc argumento ita scripsit: »*Mais c'est surtout ici qu'il ne faut pas confondre la propriété ou le domaine avec l'empire ou le droit de commandement et de juridiction; car, selon la situation, c'est l'un ou seulement l'autre de ces droits qui peut se rencontrer* 1). — Quidquid tamen sit, lis nobis magis circa verba, quam circa res versari videtur, cum quaestio de maris libertate eadem maneat, sive libertas illa a gente quadam jure imperii, sive jure domini impediat. Sed cum varii scriptores, vocabulis illis nonnunquam sine discrimine utantur, nobis non inutile visum est hac de re aliquid praemonere.

Ut autem occupatio fieri possit, necesse est: 1° Ut res ejus sit naturae, ut a singulis vel quodam populo, aliis exclusis, possideri possit; 2° Ut possessione illa alicui opus sit, aut saltem ei prosit possessio; 3° Ut talis res sit inter res nullius; 4° Ut revera possideatur 2) (ad quam opus est animo rem sibi habendi, facto aliquo humano, rei incubatione). Sed ex his intelligitur non omnes res aequae facile, immo vero nonnullas esse, quae prorsus non possint occupari, quum earum usus omnibus sit necessarius. Quae enim a Summo Numine toti humano generi sunt concessa, nemo sine summa reliquorum injuria sibi soli acquirere po-

1) *Règles internationales et diplomatique de la mer* par THÉODORE ORTOLAN. Paris 1845. Vol. I. p. 153. sqq.

2) MARTENS, *Précis du droit des gens moderne de l'Europe*. Tom. 1. p. 117.

test. Hac res a Rom. Jctis dicuntur communes omnium 1), h. e. quarum usus omnibus communis est hominibus, vel quae omnibus aequae patent et quarum essentia ea est, ut nemo iis uti prohibeatur 2). Quis enim jus arcendi alios ab earum usu sibi arrogare posset, cum in nullius bona ac proprietatem adhuc pervenerint? Sunt res extra patrimonium, vel quae nunquam in illud pervenerunt, ut HUBERUS dicit 3). Inter has res communes sive nullius imprimis pertinent aër, aqua profluens et mare. De aëre dubitari posse non videtur, cum physice fieri nequeat, ut quis eum occupet alterumque ab ejus usu arceat. — Profecto nemo hac de re unquam dubitavit, fortasse quia nemo in tali exclusione lucrum sibi positum esse vidit. Aquam profluentem revera posse occupari, neque tamen alios ab usu esse excludendos in capite sequente videbimus. De mari autem, multum est disputatum, num inter res, possessionis, domini vel imperii capaces fuerit. Multi enim principes populi que ex maris dominio maximum sibi lucrum accessurum fore putarunt. Videamus igitur quibus argumentis uti sint ut hoc dominium demonstrarent alii, alii ut negarent.

1) L. II. tit. 1 § 1. et 2 I. *de rerum divis.* 1. 2 § 1. D. *de rerum divis.* 1. 3. D. *ne quid in loco publ.*

2) COCCEJUS, *Novum Syst.* § 246.

3) *De jure civitatis.* Franeg. 1694. L. II. Sect. IV. c. 1. No. 10.

PARS ALTERA.

QUATENUS AQUAE GENTIS SUNT, CUIUS TERRITORIUM
ALLUUNT, JURE GENTIUM NATURALI?

CAPUT I.

DE MARI.

Mare optime, ut nobis videtur, dividi potest in mare clausum, si terris unius gentis, apertum, si non unius sed duarum pluriumve quaquaversus inclusum est. Apertum autem mare, uti recte NETTELBLADT observavit, quoad eam partem, in quam gens e terra dominatum exercere potest dicitur accolens, quoad eam vero in quam e terra dominari nequit vastum sive exterum 1); quo nomine pars illa etiam a BYNKERSHOEKIO designatur. Ut igitur a mari extero ordiamur, diu multumque est disputatum quatenus in dominium vel imperium redigi posset alicujus civitatis. Rationes, quibus dominium negatur, recte observante PUFENDORFIO 2), ad duas referri possunt species; sunt enim aut

1) NETTELBLADT, *Novum Syst.* § 1079.

2) PUFENDORF, *Droit de la nature et des gens.* Liv. IV. Ch. 5 § 6.

rationes physicae, aut morales. Ad primas pertinet maris magnitudo. GROTIUS, qui inter primos exstitit maris liberi defensores, hoc argumento utitur, »quod liquida per se non terminentur, vel, uti jam ARISTOTELES dixit, τὸ ὑγρὸν ἀόριστον οἰκείῳ ὄρω (quod fluit vel liquidum est non finitur proprio et sui generis termino).” Cum autem occupatio non procedat nisi in re terminata, hoc est, secundum CRONOVIVM, in re, quae fines certos habeat, sequitur, ut mare incapax sit occupationis. Hoc itaque demonstrare conatus est GROTIUS, dicendo: »mare terra non contineri, par terrae aut terra majus esse, unde terram mari contineri veteres dixerunt;” atque hoc multis antiquorum scriptorum locis ostendit 1). Iisdem fere argumentis usus est HUBERUS 2), qui contendit, »mare propter vastitatem occupari non posse;” et NETTELBLADT 3) cum dicit: »res quae omnes limites respuit, dominio subjici nequit.” Argumentum de magnitudine et infinitate maris a SELDENO 4) refellitur. Contrarium probat, multis iisque pluribus, quam quae attulerat GROTIUS, veterum locis citatis, contendens, oceanum, sive mare exterum non ita omnibus finibus carere, uti vulgo dicitur. Affirmat, eodem modo aliquem dicere posse, oceanum terra contineri atque definiri. »Scopulos,” inquit, »einentes, brevia adversa invicem promontoria, insulas hinc inde sparsas habemus, quae tanquam fines et lineae commode accipi possunt.” Lineae quoque in geographiae navigationisque usum ductae, uti gradus latitudinis et longitudinis, tropicus Cancrī et aequator in mari fuere termini nonnunquam a principibus

1) GROTIUS, *De jure belli ac pacis*, Lib. II. c. 2. § 3. No. 2.

2) *De jure civitatis*, Lib. II. Sect. IV. c. 2. No. 31.

3) *Syst. Elementare Jur. Nat.* § 118.

4) In opere praestantissimo: *de Mari clauso*. Lib. I. c. 22.

populisque habiti 1). Quo modo etiam WELWODUS 2) argumentatus est, de maris videlicet dominio terrae proximo, quem GRASWINCREL 3) refutare studuit, negans terminos in mari adesse; quod tamen argumentis probare omisit. SELDENI rationes nobis optimae videntur; neque nos in maris magnitudine rationes invenimus, cur non totum in dominium populi adjacentis transire possit.

Magnitudini maris prope accedit fluiditas, de qua COCCEJUS: »Sane,» inquit, »complexus aquarum singulis momentis mutatur, adeoque minus adhuc, quam aqua profluens in custodiam sive potestatem corporalem redigi potest.» 4) Sic et HUBERUS, mare propter fluiditatem occupari posse, negat. Quod argumentum quoque a SELDENO refellitur, atque mirum videri possit, quomodo COCCEJUS tali ratiocinatione uti potuerit. Argumentum contrarium, uti recte observat BYNKERSHOEK, optimum invenitur in l. 3. pr. D. de amitt. v. acq. poss. ubi PAULUS Jctus dicit: »possideri autem possunt, quae sunt corporalia;» et, uti bene idem BYNKERSHOEK animadvertit, est profecto mare inter ea, quae tangere vel tangi possunt. COCCEJUS fortasse nimis cogitavit de corporali detentione uniuscujusque aquae guttulac, quod tamen minime necesse est possessioni maris, corporis instar, cogitatae. Sic WELWODUS 5) exemplum

1) Argumentum de maris magnitudine etiam vehementer improbatur ab ORTOLAN, O. l. vol. I. p. 121. sqq. — Ita verbi causa cautum est in induciis duodecennialibus, a^o. 1608 a Belgis cum Hispanis initis.

2) *De dominio maris.* p. 10. Qui tamen in quaestione ipsa a SELDENO dissentit, cum sc. dicit: »Ultra has maris partes terrae proximas quidquid reliquum est, vastum videlicet immensumque aequor, omnibus gentibus ad omnes usus indifferenter patere, extra omnem controversiam pono.»

3) *Maris liberi vindiciae contra WELWODUM.*

4) *Novum Syst. cet.* § 219.

5) *De dominio maris,* c. 9, et p. 12. sqq.

affert legionis, quam eandem esse censemus, licet ex ea multi milites decesserint, quorum in locum alii substituti sunt. Sic etiam populum eundem putamus qui abhinc centum annis fuerat, etsi ex illis nemo nunc vivit. — Superest alia etiam ratio naturae quidem moralis, quam attulerunt scriptores laudati, ob quam mare in dominium redigi non possit. Quae ratio est inexhaustus maris usus; nempe sufficit ad omnibus populis hominibusque necessaria praebenda. GROTIUS: »mare,» inquit, »ad quemvis usum omnibus populis sufficit 1);» HUBERUS: »mare commodissime toti humano generi sufficit 2);» COCCEJUS: »cessat jus occupandi in illis rebus, quae inexhaustae sunt 3);» NETTELBLADT 4) denique hoc quoque vehementer urget, dicens: »res, quarum usus omnibus sufficiat hominibus et iisdem pateat, quoties eodem indigent, dominio subjici non posse;» praeterea contendit »per introductionem dominiorum nemini auferri potuisse jus ad usum rerum necessarium.» Qui maris usus aquae haustum, piscatum, lavationem, salis collectionem concharumque prope litora, et inprimis liberam navigationem complectitur 5). Quod igitur ad aquae haustum, lavationem, salis collectionem attinet, talis usus obtinet plerumque nisi unice prope litora, neque videmus, cur non populus litora possidens aliis eum negare possit. Fac enim populum quemdam, majori distantia a litoribus habitantem, unionum piscationem invenisse, quidni talis thesaurus primo occupanti cedet? Et, si na-

1) *De jure belli ac pacis*, L. II, c. 2, § 2.

2) *De jure civitatis*, L. II, Sect. IV, c. 2, No. 29.

3) *Novum Syst.* § 218. IDEM *ad GROTIUM*, L. II, c. 2, § 2.

4) *Syst. Elem. cet.* § 117 et 219.

5) GROTIUS, *de jure belli ac pacis*, L. II, c. 2, § 2. PUFENDORF, L. IV, ch. 5, § 7. VATEL, *Droit des gens*, Liv. I, ch. 23, § 287. GROTIUS, *De mari libero*, c. 2.

vibus bellicis aut aliis modis occupationem sibi reservat, revera possessio ei acquisita est, et alios ab eo usu arcebit. Neque harum rerum usum adeo inexhaustum esse, ut docti illi viri voluerunt, facile SELDENO 1) concedimus. Ex nostra igitur sententia, marium exterorum libertas, ex hoc quoque argumento non bene asseritur. Sed superest argumentum de inexhausto usu quod ad liberam navigationem pertinet, ex quo maris libertas defensa est a GROTIUS contra usurpationes et insolentiam Hispanorum Lusitanorumque, in libello isto aureo, divina quasi mente conscripto. GROTIUS jure gentium thesin propugnat: »licere cuivis genti, quamvis alteram adire cumque ea negotiari 2).» Fuit voluntas ipsius Numinis Supremi, »ut a populis, mutua egestate et copia, humanae amicitiae foverentur, ne singuli, se putantes sibi ipsis sufficere, hoc ipso redderentur insociabiles;» qua in re profecto agerent contra voluntatem Dei sanctissimam. Jam videamus, quid SELDENUS 3) contra hoc argumentum afferat. Dicit igitur, quamquam humanitatis officia exigant, ut hospitio excipiantur peregrini, etiam ut innoxio non negetur transitus, hanc potius esse caritatis, quam juris disquisitionem; pergunt deinde demonstrando, principum esse officium curare, ut nec peregrinos nec commercia admittant nisi pro re nata, ne quid detrimenti respublica inde capiat; quod jam BODINUS 4) monuerat: »singularibus pactis populorum ac principum conventis commerciorum jura contineri.» Sed inde statim videre licet, SELDENUM res mirum in modum permiscere.

1) *De mari clauso*, L. I, c. 22.

2) *De mari libero*, cap. 1. Hoc argumentum quoque vehementer urget Consult. FLOOS VAN AMSTEL, *Verhandeling over het Recht van Commerce tusschen onzijdige en oorlogvoerende volken*. Amsterdam 1760.

3) *De mari clauso*, L. I, c. 20.

4) Locus invenitur Lib. VI, Cap. 2. *de Republica*.

Tota enim ejus ratiocinatio atque locus ab eo ex BODIN^o citatus manifeste ad jus publicum pertinent. Nemo profecto negabit, unicuique principi populove jus esse peregrinos a territorio pro lubitu arcendi. HEINECCIUS 1) bene statuit, in uniuscujusque gentis positum esse arbitrio, utrum commercia cum extraneis permittere velit civibus, nec ne. Sed hoc nihil probat contra GROTHI sententiam, nemini licere alteri liberam maris navigationem interdicerere. Non agitur de caritatis officio, non agitur de jure libere transeundi ab una gente ad alteram, ubi contenditur, liberam navigationem, secundum juris naturae praecepta, omnibus populis competere. Sed procul dubio ponendum est, SELDENUM hoc argumentum refutare non potuisse, atque propterea rei superficiem tantum attingisse, in alias autem partes abiisse, quae ad rem plane non pertinerent 2). Quod igitur argumentum nostrum spectat, credimus, a nemine posse dubitari, quin omnes idem jus liberae navigationis habeant; et profecto sordida avaritia atque valde inhumanum esset, si quis hanc sibi soli habere vellet 3). Mare est, uti pulcre dicit ORTOLAN, patrimonium totius humani generis, patrimonium pro indiviso, quodque dividi nequit 4).

Neque tamen desunt rationes, eaeque magis juridicae. Videamus, quousque principia ad occupationem necessaria in apertum mare valeant, idque occupari, possideri et sic in dominium vel imperium redigi possit. Adsentimur BYNKERSHOEKIO 5), mare exterum omnino occupari posse, quum

1) *Elementa jurisprudentiae naturalis*, Lib. II, § 176.

2) Idem dicit WHEATON, *Int. law.* »He no where grapples with the arguments by which such a vague and extensive dominion is shown to be repugnant to the laws of nations.»

3) PUFENDORF, *Droit de la nature* etc. L. IV, ch. 5.

4) *Règles internationales* etc. Vol. I, p. 126.

5) *De dominio maris*, Cap. 3.

quis una pluribusve navibus ibi naviget animo possidendi. Non minus occupanti cedit, licet illud non totum pernaviget, ac terra quaevis occupanti, qui eam animo possidendi ingreditur, licet non omnes glebas circumambulet, uti PAULUS dicit. Sed longe difficilior fuit possessio; utraque tamen opus fuit ad adipiscendum dominium. At contendimus hunc possidendi animum antiquis populis nunquam fuisse, imprimis quod spectat oceanum extra columnas Hærculis, qui ab iis fere ignorabatur. Idem possidendi animus defuit pluribus navigatoribus recentioribus, qui initio oceanum commercii tantum ac navigationis causa perlustrarunt, sed minime, ut sibi vel principi suo dominium acquirerent. Sed concedamus animum illum possidendi adfuisse, quod fortasse de nonnullis navigantibus dici possit, qui jussu et mandato principis vel populi cujusdam itinera novas terras inveniendi causa fecerunt, ut illas occuparent atque in civitatis dominium redigerent, hoc tamen nullo modo maris dominium probaret. — Exempla invenire licet apud Lusitanos et Hispanos, qui primis suis Magnis Admirallis mandarunt, ut omnes terras mariaque, quae detegerent, principis nomine, possiderent et tenerent 1), uti etiam HENRICUS VII, Britanniae rex, JOANNI CABOTT ejusque filiis mandavit 2). Sic BALBAO Hispanus, cum primum ad oras Oceani Australis accederet, circumstantibus multis incolis atque Hispanis, gladium manu tenens, in undas ad medium corpus incessit, atque alta voce et solenniter declaravit, se totum illud mare, nomine et auctoritate pri-

1) Ejusmodi mandatum accepit COLUMBUS a rege Hispaniae; cujus art. 1. sic se habuit: *„that he should have for himself during his life and his heirs and successors for ever, the office of high admiral in all the seas, lands and continents he might discover.”* WASHINGTON IRVING, *Life of COLUMBUS*, Ch. XI.

2) WHEATON, *Int. law*. Vol. I, p. 209.

cipis sui occupare atque Hispanorum dominio submittere 1). Aliud praeterea exemplum affert SELDENUS, dicens (sunt ipsius verba): »Cum ELISABETHAE reginae auspiciis HUMFREDUS GILBERTUS, vir equestri dignitate, in Novum Orbem coloniam deducebat, ut simul etiam terras aliquot Imperio Anglicano jure subjacentes in oris Septentrionalis Americae orientalibus recuperaret; inducebatur ab eo, velut a procuratore, regina in possessionem perpetuo sibi posterisque retinendam, tum portus St. John (qui in insula est, quam Bacalaos vocant), tum universi tam maris quam telluris spatium DC milliaria circumquaque occupantis. Solenni dein ritu Anglicano, quo praediorum dominium transfertur, tradito nimirum ei ramulo et cespite, novum hoc regnum ut reginae beneficiarius accepit 2).»

In his igitur similibusve exemplis, animus seu voluntas possidendi revera adfuisse dici posset, factum etiam navigationis cum una pluribusve navibus. Quamvis vero libenter concedamus, mandata illa, ab Hispanorum Anglorumque regibus classium praefectis data, obligasse subditos, luce tamen est clarius, exteros ejusmodi alicujus civitatis legibus non teneri. Signa externa subsistere debuissent et praeterea opus fuisset, ut res occupata, aut semper fuisset custodita, aut usum tam piscationis quam navigationis, exclusis aliis, princeps sibi reservasset 3). — Quorum vero omnium nihil unquam locum obtinuit. Ubinam enim terrarum classes inveniuntur, vel unquam inveniri poterunt, quae ejusmodi maris possessionem semper custodirent, inque eo navigarent, ut inde omnes arcerent exteros; qua custodia remissa, dominium quoque

1) C. VON ROTIECK, *Weltgeschichte*, Th. VII, p. 36.

2) *Mare clausum*, L. II, c. 30 in fine.

3) BYNKERSH: *de dom. maris*, C. 4.

remitteretur rediretque mare in causam pristinam, h. e. rursus primo cederet occupanti? Ubinam invenitur rei incubatio, omnino necessaria, quamdiu rerum dominium pactis nobis non servetur? Ubinam usus exclusorius navigationis et piscationis in aperto mari? Ubinam denique sunt pacta ista, quibus hoc dominium nonnullis gentibus a reliquis sit concessum, sine quibus occupatio illa iis nullo modo potuit nocere? Nihil horum omnium invenitur, atque inde inferre licet, nullum dominium marium exterorum existere unquam posse, cum hoc et physice fieri nequeat et omnibus principiis juris naturae ac gentium prorsus repugnaret. Quocirca optime HUBERUS 1): »Mare, inquit, non recipit possessionem, quia possessio (ut JCtus dicit) est sedium positio et rei detentio; sed mare definiri aut custodia coerceri nequit;» atque alio loco: »quae res non recipit possessionem, ea nec domini jure gentium capax est, quia naturalis causa ac iterum effectus domini est, ut res sit in potestate nostra eique insistamus.» Quod jam antea NETTELBLADT 2) quoque agnoverat, de mari vasto dicens: »quatenus illud est, non dominio gentium vicinarum est, nisi specialis acquisitio probari possit.» Satis quoque perspicuum videtur, tale dominium maris neque securitati neque prosperitati alicujus gentis multum prodesse, quin etiam magis nocere, cum mutua populorum commercia impediret, ne dicam plane tolleret. — At videamus de mari accolenti, sive de iis maris partibus in quas gens e terra dominatum exercere potest. Haec quaestio prorsus aliter se habet; ratio enim et moralis et physica hic non obstat, et alia adest maximi momenti, quam omittere non possumus. Quum scilicet primis temporibus homines gen-

1) *De jure civitatis*, L. II, Sect. IV, C. 2, No. 31.

2) *Systema elementare cet.* § 1082.

tes constituere coeperunt, quaeque gens possessionem et dominium alicujus regionis occupatione acquisivit et jus ei competiit, sibi tutelam talis regionis possessionem servandi. Nequit enim cogitari gens sine territorio quodam, intra cujus fines omnia facere atque instituere potest, quae ad prosperitatem et incolumitatem optima vel necessaria videantur, atque ibi imperium exercet supremum secundum regulam: quidquid est in territorio de territorio est. Hujus juris consequens est, omnibus gentibus aequae ac singulis hominibus jus naturale esse, ut sui tutelae prospiciant 1); unde rursus necessario sequitur, jus quoque illis esse in eas maris partes, quae litoribus adjacent eaque circumfluunt. Hae enim maris partes ipsius territorii partem constituere videntur atque ad defensionem omnino requiruntur. Etenim magnum potest existere periculum a navibus hostium proxime ad litora accedentibus. Cujuslibet igitur populi quam maxime interest, in securitatem suam tale quid impedire, non solum ad sui defensionem, sed etiam ne merces vetitae advehantur. Itaque secundum juris gentium naturalis praecepta occupatio possessioque ejusmodi partium maris, quae uti PUFENDORFIUS dicit: *»servent de rempart aux côtes, qu'elles baignent,* licitae videntur; quin etiam semper occupatae esse censi debent 2). Quapropter recte HUBERUS: *»ratione,* inquit, *»territorii adjacentis pars maris videtur esse sub imperio*

1) Jus enim legitimae defensionis, praecipue quoad spectat institutiones, quibus cavetur ne quid detrimenti republ. capiat, et licitum est et prorsus innocuum. Quod JCI Romani quoque agnoverunt, dicentes: L. 1. Cod. *quando liceat unicuique.* *»Quod quisque propter defensionem sui fecerit jure fecisse videtur,* et, *»melius est, occurrere in tempore, quam post exitum vindicare.*

2) *Droit de la nature* etc. L. IV, ch. 5, § 1 et 7. HEFFTER, *Das Europäische Völkerrecht der Gegenwart*, Berlin 1844, p. 51. VATTIEL, L. I, ch. 23, § 288. FOELIX, *Traité du droit international*, Paris 1843 Liv. II, tit. 9, ch. 1. MARTENS, *Précis* etc. Liv. II, ch. 1, § 41.

principis aut populi, qui navigantes e terra cogere potest.” Prorsus alio modo COCCEJUS rem consideravit contenditque: »mare omnino occupari non posse, nec totum, nec pro parte 1).” Argumenta, quibus rem suam tuetur, digna mihi videntur, quae hoc loco recenseantur. Secundum eum mare tribus constat partibus, scilicet aqua, alveo, litoribus. Aquam in corporalem potestatem redigi non posse supra jam vidimus, ubi simul ostendimus errorem in quem incidit auctor. Jam alveum non magis possideri posse, quis est, quin videat? »Res enim,” (sic pergit), »nostra tunc demum fit, quando facultas naturalis nobis competit rei insistendi; at per rei naturam possideri non potest alveus, quamdiu aqua tegitur. Nam locus a mari inundatus desinit esse proprius et fit publicus.” Huic ejus argumento assentimur; sed amplius progreditur, cum denique contendit: »litora posse sua natura occupari; sed quatenus ad maris usum sint necessaria, eatenus in proprietatem venire non posse;” hinc JCTos Romanos litora quoque inter res communes nominare una cum mari, sed addere; »mare et per hoc litora,” h. e. secundum COCCEJUM interpretationem, »quatenus littora ad usum maris pertinent.”

»Cum enim” (sunt ipsius verba) »Creator maris usum communem esse voluerit omnibus, ex medii necessitate sequitur, etiam litorum usum communem esse voluisse, quia sine litoribus usus maris exerceri non potest.” Sed posteriori sententiae minime subscribere possumus, cum usus maris praecipuus constet navigatione, quae omnino etiam sine litorum usu cogitari potest. Sed fortasse ei in mente erat locus ille, ubi JCTus Romanus dicit: »litorum quoque usus publicus juris gentium est, sicut ipsius maris; et ob id quibuslibet liberum est casam ibi impo-

1) *Novum Syst.* § 262 in fine.

nerē, in qua se recipiant, sicut retia siccare et ex mari deducere 1).” Nauta igitur, urgente necessitate, litoribus uti potest; sed quare non etiam portubus, qui a Romanis inter res publicas recenseantur? Rationem nos ignorare fatemur, cur portus reipublicae adscribantur, litora vero res omnibus communes habeantur. Fortasse COCCĒJUS JCtorum Romanorum doctrina nimis imbutus, praecepta juris naturalis potius quam juris gentium naturalis spectavit; quae licet in multis, non tamen in omnibus eadem sunt censenda 2). Secundum praecepta juris naturalis verus omnino dici potest pulcerrimus ille CICERONIS locus, ubi quaerit: »quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis 3)?” Eo sensu fortasse hodie quoque litora quodammodo communia omnibus dici possunt, cum nemo tam barbarus sit, ut prohibeat, quominus naufragus in litore salutem quaerat. Sed eo uti ad retia siccanda, ad habitationes ibi condendas, ad piscatum exercendum, hoc minime conveniret securitati populorum mari adjacentium, ad quam tamen tendam naturale jus iis competit. Haec JCtorum Romanorum dicta nobis videntur potius esse intelligenda de jure mere naturali, non vero de jure gentium naturali.

Accedit, quod licet major pars illorum JCtorum principium litorum communionis defenderit, CELSUS tamen, JCtus haud ignobilis, aliter hoc intellexisse videtur, atque censuisse, litora territorii partem efficere, aequae ac

1) § 5 I. de rerum divis.

2) Nos scilicet hac in re potius GROTIUM sequimur, qui jus naturale et jus gentium naturale e duplici fonte derivatum esse putat. Aliter senserunt PUFENDORFIUS, THOMASIVS, COCCĒJUS alique, qui jus gentium naturale nihil aliud esse quam jus naturale rebus gentium applicatum docuerunt. De hac quaestione vide PLOOS VAN AMSTEL, *Dissert. laud.* p. 21 sqq.

3) In *Or. pro Roscio Amerino*, c. 26.

portus. Dicit enim l. 3. § 1. D. *ne quid in loco publico*: »Litora in quae populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitror.» Romani igitur non omnes inter se conveniebant, litusne esset juris publici an juris gentium, et CELSUS litora plane ad territorium pertinere, ut hodie quoque statuitur, significat. Majorem autem difficultatem movet quaestio, quatenus hocce maris imperium extendatur, immo verò secundum juris gentium naturalis praecepta accurate solvi non potest.

Hinc apud varios scriptores hac de re sententiae plane diversae inveniuntur, quas simul cum iis, quae usu et pactis invaluerunt commodius visum est in alteram hujus disquisitionis partem remittere. Videtur tamen hoc imperium, secundum principia juris gentium naturalis, eatenus sese extendere, quatenus territorii securitas postulat, vel navibus bellicis opus est, ut libere portum ingredi vel egredi possint 1). Hic autem inprimis est considerandum, quatenus partes illae e terra recte custodiantur. BYNKERSHOEK 2) igitur: »videtur,» inquit, »eiusque possessio maris proximi posse porrigi, quousque continenti potest haberi subditum, eo quippe modo, quamvis non perpetuo navigetur, recte tamen defenditur et servatur possessio jure quaesita; neque enim ambigendum est, eum possidere continuo, qui ita rem tenet, ut alius eo invito tenere non possit 3). Unde dominium maris proximi non ultra con-

1) FÖLITZ, *Die Staatswissenschaften im Lichte unserer Zeit*, Vol. 1, P. 130. VATTÉL, L. I, ch. 23, § 289.

2) *De dom. maris*, c. 2.

3) Optime hoc quoque ostendit VON SAVIGNY, *Das Recht des Besitzes*, P. 191. ubi dicit: »Wer in jedem Augenblick eine Sache ergreifen kann, die vor ihm liegt, ist ohne Zweifel oben so unumschränkter Herr dieser Sache, als wer sie wirklich ergriffen hat.» Romanos quoque JCIOS rem ita intellexisse optime patet ex l. 1, § 21 D. *de poss.*

cedimus, quam e terra illi imperari potest, et tamen eoque; nulla si quidem sit ratio, cur mare, quod in alicujus imperio est et potestate, minus ejusdem esse dicamus, quam fossam in ejus territorio." Quam sententiam etiam probat VATTEL, qui omnia a temporibus et locorum situ pendere dicit. Jus autem gentium naturale hac de re nihil amplius praescribit vel constituit; termini ad quos maris possessio imperiumque porriguntur, valde diversi esse possunt, atque tandem diuturno usu, vel pactis foederibusque sensim sensimque definiri.

Quae cum ita sint, sequitur, ut secundum eadem principia juris gentium naturalis, gens sibi etiam acquirat freta, portus, recessus, sinus, stationes, quippe minores territorii hujus aquatici partes. Eum enim qui plus potest minus etiam posse, extra dubium est. Praeterea talia loca omnino securitati regionis inserviunt, atque pleurumque castellis vel operibus bellicis custodiri atque teneri possunt. Quare nemo recentiorum scriptorum hac de re dubitavit. Sed Romani jam portus aequae ac flumina ad territorium pertinere putarunt: «flumina autem," inquit, «omnia et portus publica sunt" 1), sive, ut THEOPHILUS hoc expressit; «πόταμοι δὲ πάντες καὶ λιμένας πονύβλικοι εἰσι;" et addit: «τοῦτ' ἔστι τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαϊκοῦ"; atque hoc naturali jure.

Sed gravior est quaestio, quatenus majores sinus vel etiam minores maris exteri partes, plus minusve inclusi terris affinibus, secundum jus gentium naturale territorio adscribi possint, atque sub imperio principis vel populi adjacentis censerentur. Sic quoque quatenus mare circumquaque pluribus regionibus inclusum, mutuo consensu populorum

1) § 2 l. de rerum divis.

adjacentium mare clausum haberi possit, quod ad ceteras gentes attinet.

Quod ad primum, nobis videtur magna cum cautione esse accipienda MARTENSI sententia, contententis, proprietarium riparum, qui aut locorum situ, aut classibus, prouti securitas terrae postulet, imperium suum tuetur, habetque soticas causas excludendi peregrinos, jure posse contendere, maris partem alluentem omnino ad territorium suum pertinere 1). Concedimus auctori, si quis revera potestatem habeat hanc maris partem sibi perpetuo servandi, declaraveritque voluntatem hanc sibi uni, exclusis reliquis, retinendi, ita tamen, ut non impediatur aliorum navigatio, imperium profecto genti alicui existere posse. Quid vero si una harum conditionum desit? tum certe imperium in maris partem aequae ac in pelagum apertum non existit, nisi hoc pactis constitutum sit, de quibus infra.

Communi tamen jure Lacus Flevus (*de Zuiderzee*), Palus Maeotis (*de zee van Azof*), eae maris partes, Germanis *Frisch Haf* et *Curisch Haf* (in litore Borussiae Orientalis), Sinus Lepanticus in Graecia et Sancti Georgii fretum considerari debent partes territorii, quippe quae undecunque aut pro majori parte a territorio includantur facileque omnes peregrini inde arceri possint. Sic nemo profecto est, qui neget, Mare Mediterraneum Romanorum tempore, cum hi scilicet ad summum potestatis fastigium pervenissent, prorsus fuisse clausum, revera territorii partem efficiens. Mare illud undique circumdatum erat regionibus eorum imperio subjectis, atque unicus aditus (fretum scil. Herculis) in eorum fuit potestate quem facile claudere potuissent; praeterea tenebant tres portus ma-

1) Haec MARTENSI sententia invenitur, Liv. II, ch. 3, § 41, ejus operis. *Précis du droit des gens moderne de l'Europe.*

ritimos, Ravennam 1), Forum Julii et Byzantium, ubi semper classes praesto fuerunt imperio tuendo et conservando.

Patet igitur, hoc mare, quantumvis magnum, licetque in eo toto e terra gens dominatum exercere non potuerit, Romanis proprium fuisse 2). — Sed non eodem modo res sese habet, quando maris partes nimis magnae aut apertae vel litoribus plurium gentium circumdatae sunt. Quamprimum enim duae vel plures gentes idem mare includunt, non amplius dici potest hujus illiusve proprium; divisio enim plerumque magnis laboraret difficultatibus, ac si fieri posset, aliis gentibus tamen nunquam noceret vel obstaret 3).

Est igitur nostra sententia, mare, statim ac non amplius unius civitatis territorio inclusum sit, ad primum statum redire, et denuo rem nullius fieri, cujus usus om-

1) Propter varia hujus urbis fata, memoratu haud indignum videtur hic addere, Ravennam olim fuisse Thessalorum coloniam. Postea ab AUGUSTO facta est urbs maritima atque statio classium Romanarum. Multa ibi fuere aedificia publica portusque ducentarum quinquaginta navium capax. HONORIUS deinde ibi sedes imperii collocavit. Hodie est parvum territorii Ecclesiastici oppidum, atque celeberrimus GIBBON, *The History of the decline and fall of the Roman empire*, Vol. IV, p. 55. — (*Oxford edition.*) dicit: »the gradual retreat of the sea has left the modern city at the distance of four miles from the Adriatic; and as early as the fifth or sixth century of the Christian era, the port of Augustus was converted into pleasant orchards; and a lonely grove of pines covered the ground where the Roman fleet once rode at anchor." Quis hanc rerum humanarum vicissitudinem observans, non in mentem revocat FLOBI patheticam querelam de urbe Vejorum diruta; »Hoc tunc Veji fuere. Nunc quis meminit? quae reliquiae? Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus!"

(L. ANNAEI FLOBI, *Epitome Rerum Romanarum*, L. I, c. 12 in fine).

2) BYNKERSH. *de dom. maris*, C. 3.

3) GÜNTHER, Vol. II, p. 42.

nibus pateat. Quod WHEATON 1) de Mari Nigro apertis verbis dicere videtur. Quamdiu enim Turcae soli litora tenebant, fuit mare clausum ut Mare Mediterraneum Romanorum tempore, sed postquam Russia quoque litorum partem adeptam est, ibique urbes maritimas condidit, classes sustentavit atque vehementer studuit, ut commercia cum aliis Europae gentibus iniret, tum (sunt ipsius WHEATONI verba) »both that empire and other maritime powers have become entitled to participate in the commerce of the Black Sea, and consequently to the navigation of the Dardanelles and the Bosphorus.” Atque hoc ita esse secundum jus gentium naturale, luculenter patet ex sequentibus ejusdem WHEATONI verbis: »this right was expressly recognised by the treaty of Adrianople, 1829.” Fatetur igitur hoc loco, omnibus populis jus acquisitum fuisse ante pacem Hadrianopolitanam, qua demum libera navigatio fuit ordinata, atque consentientibus Turcis, stabilita. De quo enim jure hic loqui possit auctor, nisi de jure gentium naturali, quod omnibus gentibus hanc praebeat libertatem? Hoc loco quam maxime dissentimur a CONS. VAN HOORN, qui in dissertatione laudata 2) acriter invehitur in recentiorum Francicorum scriptorum sententiam, declaratque se eorum principis de libertate fretorum inter duo maria libera intermediorum

1) WHEATON, *Int. Law.* Vol. I, p. 221. Quod etiam agnoscere videtur CONS. TH. VAN HOORN, *Disp. de navigatione et mercatura in mari Nigro.* Amst. 1834, p. 28 dicens: »Romani, quo tempore victricibus hostium armis e provinciis nonnullis, mari Mediterraneo adjacentibus, expulsi fuerunt, simul cum provinciis suis etiam imperium maris Mediterranei absolutum amiserunt.” Alias igitur gentes tum non amplius a maris illius navigatione arcere potuerunt, aut innoxium transitum ad hoc mare vel ex eo impedire.

2) Vide pag. 30 sqq.

adstipulari non posse quod ad ea quae ad mare Nigrum praestant aditum, »quia” addit, »mare Nigrum, certe magnum mare et cuius patens non est.” Hic igitur quaestio oritur, quodnam magnum dici possit? Cujus rei definitio nobis non facilior videtur, quam illa sophistarum, quot grana cumulum faciant. Praeterea jus et praecipue jus gentium naturale non a majori minorive magnitudine et ambitu rei pendere potest. Eadem difficultas se nobis offert, cum dicimus, mare tum demum liberum fieri, cum ejus litora a pluribus gentibus possideantur. Quis enim tum numerum populorum adjacentium definiet? An Russia et Turcia solae, mare Nigrum clausum servare poterunt? Quidni tum quoque Russia, Suecia, Dania et Borussia mare Balticum? Quidni civitates Maris Mediterranei hoc Mare claudere possent? Tales quaestiones, quae nunquam solvi poterunt, necessario oriuntur, nisi statuamus, mare tam-diu clausum esse, quamdiu territorio unius gentis prorsus sit inclusum, sed ab eo temporis momento, quo alia gens eo venit, rursus fieri nullius atque ejus usum omnibus patere 1). Sed vera causa, ob quam Turcae domini fuerint navigationis in mari Nigro secundum VAN HOORN non haec fuit, mare istud omnibus partibus territorio includi, sed ab iis freta possideri, per quae unice ad mare Nigrum detur aditus 2), quamquam et ipse impe-

1) Eodem modo ORTOLAN statuit, cum dixit; »Quant aux mers intérieures, si elles sont totalement enclavées dans le territoire, de telle sorte qu'elles en font parties intégrantes, et qu'elles ne peuvent absolument servir de lien de communication et de commerce, qu'entre les seuls citoyens, elles sont propres. Mais du moment que plusieurs états différents possèdent des côtes autour de cette mer, aucun d'eux ne peut s'en dire propriétaire ni souverain à l'exclusion des autres.” Règles internationales etc. Vol. 1, p. 160.

2) Disp. laud. p. 29.

rium maris Mediterranei Romanis tribuit, quippe quod ipsi, qua mare Europam, Asiam Africamque alluit, imperio suo complectebantur. Rationes hujus discriminis apud Romanos et Turcas non invenimus. Secundum hanc igitur doctrinam Dania unice imperium haberet maris Baltici, quippe quae possideat Oresundam. Hispania cum Ceutam adhuc teneat, igitur possessione freti Herculis dominium imperiumque maris Mediterranei haberet. KLÜBERI autem locus: »*la Porte maîtresse des Dardanelles regarde la mer Noire comme fermée aux étrangers,*” 1) quem affert VAN HOORN, quo suam tueatur sententiam, nihil probat contra maris Nigri libertatem, secundum jus gentium naturale, cum scil. Turcae nunquam de hoc jure fuerint valde solliciti, neque ejus praescripta anxie observaverint.

Huic argumento proxima est quaestio, quatenus freta, secundum jus gentium naturale dici possint sub populorum adjacentium imperio esse. Fretum autem dicitur maris tractus inter angustiam constitutus, ita ut supra et infra pateat. Hic, uti jam ex supra dictis vidimus, accurate est distinguendum, utrum tale fretum aditum det ad mare clausum, an vero e mari aperto in mare apertum. Primo casu fretum omnino sub ejus populi imperio est, intra cujus fines situm est mare, ut supra de freto Herculis sub Romanis ostendimus. Secundo quoque casu, cum latitudo non tanta sit, quin occupari et in dominio teneri possit, alienius gentis propriam fit mare, vel, uti NETTELBLADT 2) dicit: »fretum est in dominio et sub imperio gentis, cujus terras alluit.” Quod jam GROTIUS monuerat: »ad hoc exemplum (fluminis) videtur etiam occupari potuisse ab eo, qui terras ad latus utrumque possidet, etiamsi et supra et infra pateat ut fretum.”

1) KLÜBER, *Droit des gens moderne de l'Europe*, § 131. note a.

2) NETTELBLADT, *Systema elementare*, § 1080. et 1083.

Cujusmodi fretorum exempla sunt Oresunda, Sinus Codanus (*Gr. en Kl. Belt*), fretum Italis *il faro di Messina*, Bosphorus et Hellespontus (*de Dardanellen*); e quibus Oresunda et Hellespontus tam sunt angusta, ut tormentis bellicis possint custodiri. Ea profecto, diligenter omnibus, quae supra jam de civitatum territorio dicta sunt, perpensis, nemo negabit, propria civitatis esse ejusque territorii partem efficere. Sed quomodo statuendum, si fretum illud angustum unica sit via, qua quis e mari libero in mare liberum pervenire possit? An gens, ejus fretum illud est, omnem impedire transitum, atque igitur jus liberae navigationis a natura omnibus concessum tollere poterit? Cui quaestioni BYNKERSHOEK affirmando respondet, docens, eo casu pactis opus esse: »Etenim”, inquit, »transitum quamvis inermem et innoxium, a domino recte prohiberi omnino dicendum est;” et »nemo, me invito, re mea utitur, fruitur; alia est humanitatis, alia juris regula 1).” Quam BYNKERSHOEKII sententiam valde quoque urget VAN HOORN 2), dicens: »Sunt hodie, qui, humanitatis et libertatis nomina prae se ferentes, omnia etiam freta omnibus populis aperta esse oportere contendunt,” atque deinde fatetur, se non videre, quare populus, qui possidet fretum inter duo magna maria medium, sed parvum et angustum, ullam diminutionem juris imperii aut dominii pati deberet, ideo quod in duobus maribus adjacentibus cuivis libere navigare liceat. Nos fatemur, tales opiniones nostrae sententiae vehementer adversari; sic enim ab alicujus gentis arbitrio penderet, num reliquae arceri possint a primariis commodis, jure gentium naturali omnibus concessis, scilicet a libera navigatione et commercio. Quare GROTIUS docuit: »talis pars maris patere debet his, quibus transitu opus est

1) *De dom. maris*, c. 4.

2) *Disp. supra laudata*, p. 34.

ad causas justas 1).” Sic etiam COCCEJUS transitum innoxium secundum jus gentium naturale vetari non posse statuit. Ait enim: »cuique hominum transitus innoxius competit per totum terrarum orbem;” 2) atque talis innoxii transitus prohibitio justam belli causam praebet. Idem principium propugnat Vattel dicens: »en refusant passage on priverait les autres nations d'un avantage, qui leur est accordé par la nature; et encore un coup, le droit d'un tel passage est un reste de la communauté primitive 3).” Eidem favet sententiae Lusitanus PINHEIRO FERREIRA, qui in adnotatione ad MARTENSII opus 4), de fretis, quae aditum dant e mari libero in mare liberum, hoc modo loquitur: »l'usage ne saurait être disputé par les peuples situés sur leurs bords à toutes les nations de l'univers, qui sont intéressées à en jouir;” praecipue cum talis transitus non damnus, plerumque vero magnum lucrum populo adjacenti afferat. Eodem modo vir prudentia civili insignis: »si l'usage des mers,” inquit, »est libre, la communication doit l'être également, autrement la liberté de ces mêmes mers serait chimérique 5).” RAYNEVAL eandem secutus est sententiam, cum dicit: »les détroits sont des passages pour communiquer d'une mer à l'autre. Si l'usage de ces mers est libre, la communication doit l'être également; car autrement la liberté de ces mêmes mers ne serait qu'une chimère 6).” ORTOLAN hoc modo ratiocinatur: »il ne suffirait pas ici, pour attribuer la propriété du détroit

1) *De jure belli ac pacis*, Lib. II. c. 3. § 8.

2) *Novum Syst*, § 245.

3) Vattel, *Droit des gens*, Livr. I. ch. 23. § 292.

4) *Précis du droit des gens moderne de l'Europe*.

5) In opere quod inscribitur: *Traité complet de diplomatie, par un ancien ministre*, Paris 1833. Vol. I. p. 405.

6) *Institutes du droit de la nature et des gens*, Livr. II. ch. 9. § 7.

à la nation maîtresse des côtes, de dire que de fait le détroit est en la puissance de cette nation; qu'elle a le moyen de le dominer par son canon ou par cent autres modes d'action ou de défense, — en un mot, qu'elle peut l'avoir réellement en sa possession. L'obstacle matériel à la propriété étant levé, il resterait toujours l'obstacle moral, la faculté essentielle et inviolable pour les peuples de communiquer librement entre eux 1).” Hactenus quidem de aliorum sentiis, in quas quominus abeamus nihil obstare nobis videtur. Sed tentare volumus, an fortasse territorii sanctitas cum jure illo libere transeundi quodammodo possit conciliari. Putaremus scilicet, tali casu cogitandam esse servitatem quamdam juris gentium. Scimus, omnes fere hujus juris doctores tradidisse, omnem servitatem juris gentium speciali titulo sive pacto niti et constitui debere, aliter vero alios nonnunquam statuisse 2), atque non videmus, quare inter gentes cogitari non possit servitus ex locorum situ derivata, eodem modo, quo jure civili. In hoc enim invenimus jura et officia inter praediorum adjacentium dominos instituta, quorum primum est, ut fundi situ inferiores aquam ex superioribus locis defluentem, nullo interveniente hominis facto, recipiant. Sed imprimis in hac quaestione regula illa juris civilis valere deberet, secundum quam praediis circumcirca aliorum prae-

1) *Règles internationales*, Vol. I. p. 161. WHEATON hujus operis censuram egit in *Revue de droit Français et étranger* par FORLIX; Tom. II. Livraison. 3.

2) KLÜBER, *Droit des gens moderne de l'Europe*, p. 214. ibique sub litt. c. »Il est des auteurs qui soutiennent à cet égard une servitude publique derivante de la situation des lieux, et par conséquent constituée par la nature même;” citat J. N. HERTII dissertationem de servitute naturaliter constituta, cum inter diversos populos, tum inter ejusdem Reipublicae cives, Giess. 1699.

diis inclusis liber dari debet aditus 1). Est igitur nostra sententia, hic et inter gentes tale quid locum habere. Nam eo tantum modo territorii sanctitas cum jure liberi gentium commercii naturali, conciliari nobis videtur. Populum enim adjacentem revera talium fretorum dominum esse, a GROTIUS, COCCEJO aliisque scriptoribus non negatur, cum ei jus tribuant telonea quaedam exigendi, statuuntque iidem, hoc secundum jus gentium naturale licitum esse, scilicet, ut inde expensae, quibus opus est ad navigationem promovendam atque tuendam, solverentur. Sic enim GROTIUS: »transeuntibus,” inquit, »mercibus vectigalia imponi possunt ab eo, qui in terra imperium habet, ad praestandam securitatem mercibus, aut inter cetera ob hoc onera sustinentur, ad ea compensanda vectigal aliquod mercibus imponi potest, dum modus causae non excedatur 2).”

CAPUT II.

DE FLUMINIBUS.

Postquam igitur de mari aperto, de maribus internis eorumque partibus, fretis, sinubus, portibus aliisque egimus, superest jam, ut videamus, quatenus flumina, amnes et reliquae aquae internae secundum jus gentium naturale alicujus populi propria sint censenda. Et primum quidem quod ad illas attinet aquas fluminaque, quae in territorio, h. e. intra fines populi cujuslibet fluunt atque oriuntur,

1) Cf. Art. 672. sqq. Cod. Civ. Bat. et 639. sqq. Cod. Civ. Fr.

2) *De jure belli ac pacis*, L. II. c. 2. § 14, et COCCEJUS ad hunc locum. VATTIEL, *Droit des gens*, L. I. ch. 23. § 292.

non facile quis dubitare poterit, quin totae hujus populi propriae sint, nullaque in iis jura peregrini habeant possintve exercere. Restat igitur, ut ostendamus, quatenus flumina, quae plures alluunt regiones, secundum jus gentium naturale gentibus ad eorum ripas habitantibus sint propria. Ex principiis de populorum territorio in eoque imperium exercendi modis a nobis positus necessario sequitur, ut gens ad ripas fluminis habitans censi debeat, tale flumen sibi soli occupasse; nam, uti GROTIUS dicit: »flumina occupari poterunt, quamquam nec supra nec infra includuntur territorio, sed cum aqua superiori et cum inferiori aut cum mari cohaerent.» Ita autem eo magis statuendum, quo angustior est fluminis cursus; tum enim populo quam maxime opus est eodem ad territorium defendendum. Si tamen duo populi ad fluminis ripas eodem tempore sese collocarunt, aut saltem ignorant, quis primum sedes ibi posuerit, censi debet utrique aequa fluminis pars competere; quod etiam NETTELBLADT agnoscit: »si flumen fines territorii dirimit, in medio flumine fines esse censentur, nisi aliunde constet ad unam gentem tantum pertinere flumen?». Unde patet, quemlibet populum una cum occupatione territorii, quod possidet, occupasse omnes amnes fluminaque, quae territorium illud perfluunt; et cum hae aquae facile possideri atque custodiri possint, illas esse proprias populi, cujus intra fines fluant, vel ejus, cujus in ditone sit populus 1). Magna autem illa flumina, quae varias perfluunt regiones atque nunquam viam commercii unicum inter gentes efficiunt, ex nostra sententia quoque haberi quodammodo debent viae

1) MARTENS, *Précis* etc. L. II. ch. 1. § 39. VATEL, L. I. ch. 22. § 266. GÜNTHER, Th. II. § 13. WHEATON, *Int. Law.* Vol. I. p. 288. FOLIX, *Traité* etc. L. II. tit. 9. ch. 1. PÖLITZ, *Die Staatswissenschaften* n. s. w. Th. I. p. 128. GROTIUS, *De jure belli ac pacis*, L. II. c. 2. § 12.

naturales in totius humani generis commodum constitutae 1). Secundum jus igitur gentium naturale minime licet gentibus, iisdem fluminis ripis adjacentibus sibi invicem liberam navigationem et innoxium transitum impedire. Quod jam de fretis monuimus huc quoque de fluminibus dicendum. Statuimus nempe, innoxium transitum in fretis esse servitutem juris gentium ex locorum situ derivatam. Gentes itaque ad fluminum ostia sitae transitum illum negare non possunt illis, quae altioribus locis habitant, neque haec ad fontes. Sed dominatus fluminis et proprietas, nihilominus gentis propria sunt, quousque territorium perfluit. Quae igitur gens omnia etiam exerceat jura, ut piscatum, et ea, quae in flumine nascuntur ejus sunt 2). Quam sententiam GAJUS Auctus Romanus ita expressit, l. 5. D. *de Rer. divis. et qual.* »riparum usus publicus est jure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naves ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia siccare cet. cuilibet liberum est. *Sed proprietates illorum est, quorum praediis haerent.*” Quilibet quoque populus jure suo transeundi utens tenetur solvere omnia telonea, quae pro re nata et ab incolis exiguntur, neque majora. Eo pertinent e. g. anchoragia, ripatica, pedagia aliaeque hujusmodi praestationes pro signis, quibus recta navigantibus monstratur via 3). Facile tamen

1) HEFFTER, *Das Eur. Völkerr. der Gegenwart*, p. 136. et omnino WHEATON, *Int. law*, Vol. 1. p. 229. cujus sententiam secuti sumus. Hic quoque omittere non possumus, rem jam eodem animo fuisse consideratam a Senatu populoque urbis New-York, cum nempe constituerint d. 10. m. Aug. 1798, ut varia hujus provinciae flumina, »*should be considered and were declared to be public highways,*” atque nemini liceret navigationem per illa quolibet modo impedire, sub poenis lege constitutis. Vide *Laws of the State of New-York comprising the constitution and the acts of the Legislature since the revolution.* Albany by WEBSTER, 1800. Vol. III. p. 433.

2) *De jure B. ac P.* l. II. c. 2. § 12. HEFFTER, l. 1.

3) COGELIUS *ad GROTIUM*, l. II. c. 2. § 14.

unusquisque videbit, jus illud transeundi ac telonea imponendi, auctis gentium commerciis, multis litibus gravissimisque quaestionibus ansam praebuisse, atque earum solutionem temporis lapsu vel pactis expressis fuisse factam. De hisce tamen ad jus gentium Europaeum proprie pertinentibus in tertia hujus disquisitionis parte videbimus.

PARS TERTIA.

QUATENUS AQUAE GENTIS SUNT, CUJUS TERRITORIUM
ALLUUNT, JURE GENTIUM EUROPAEO?

CAPUT I.

DE MARI.

Postquam igitur priori parte de jure gentium naturali egimus, videamus de jure gentium Europaeo et imprimis de quibusdam quaestionibus, quarum brevis disquisitio esse praemittenda nobis omnino videtur; scil. quomodo hoc jus gentium Europaeum formatum sit atque excultum. Deinde, quid hodie hoc nomine intelligatur. Veteres, praecipue Graecos et Romanos, non prorsus ignorasse primaria juris gentium principia, ex multis eorum scriptis luculenter patet. Eorum tamen hac de re sententiae non potuerunt late patere, cum navigationis, commercii et geographiae studium illis temporibus non admodum esset excultum. Apud Romanos, populum initio agriculturae deditum, ab omni mercatura alienum, ignorantia illa aliarum gentium eo major esse debuit. Cui accedebat superbia, ferocitas ac crescens in dies omnia sibi subjiciendi cupiditas. Postea hoc sensim paulatimque mutatum; sed cum Romani totum

fere orbem terrarum sibi subiecissent, non ita iis necesse esse potuit, ut perpetua foedera ac commercia cum barbaris Orientis vel Occidentis gentibus colerent. Everso eorum imperio, Germaniae gentes nova in Europa condiderunt regna, inter quae tamen, nec magis medio aevo juris gentium necessitudo ulla stabilis ac firma obtinebat, contra grassabantur in dies perfidiae, lites, bella ac vastationes. Rebus sic se habentibus, nulla fere juris gentium auctoritas esse poterat, et restaurato juris Romani studio, cum principiis hujus juris confusa atque ex hoc solummodo explicata fuere nostrae disciplinae praecepta. Cum vero ex hac medii aevi quasi nocte Europa renata prodiret, cum artes in Italia renascerentur, cum commercia et inventiones auferentur, mox jus gentium quoque sese explicare et extendere debuit, quo populorum inter se commercia atque consuetudines niterentur. Aucta tamen haec commercia necessario ansam litibus inter populos praebere debuerunt, quae aut communi more componendae erant, aut occasionem dabant stipulationibus, quibus jura concederentur vel adimerentur. Ex brevi hec conspectu patet, jus gentium Europaeum, sicut et alias juris disciplinas niti praeceptis juris gentium naturalis, de quo in priori parte vidimus. Partis positivae autem triplex est fons 1); fluit enim

1) WHEATON, *Elements of Int. law*. Vol. I. p. 56. WHEATONI distinctio, quam secuti sumus eodem mihi redire videtur quo WOLFII, *Proleg. Jur. gent.* qui nempe distinxit *JUS GENTIUM NECESSARIUM*: (hoc est jus gentium naturale); *JUS GENTIUM CONSUEUDINARIUM* et *JUS GENTIUM FACTITIVUM*. Eandem distributionem etiam habet WARNKÖNIG, *Rechtsphilosophie als Naturlehre des Rechts*. Friburg. 1839. p. 436. ubi dicit: »Die gemeinsame Ueberzeugung verschiedener Völker über ihre gegenseitigen Rechten und Verpflichtungen kann auf eine dreifache Weise sich aussprechen:

1^o. Durch stillschweigende Befolgung derselben Grundsätze. (GEWÖHNHEITSRECHT).

- 1°. ex iis, quae ex populorum expresso consensu, pactis atque foederibus nobis servata sunt.
- 2°. ex iis, quae tacito populorum consensu et usu introducta sunt.
- 3°. ex iis, quae tacito consensu quorundam populorum derivata, usum peculiarem inter hos constituunt.

Denique quaerimus, quid hodie intelligatur vocabulis jus gentium Europaeum? Quae verba profecto non sunt accipienda sensu nimis restricto. Etenim, ubi anno 1783 Americae Septentrionalis libertas agnita est, atque hujus saeculi initio Hispanorum coloniae jugum excusserunt totque respublicas liberas formarunt, quae mercatura, navigatione et pactis amicitiam magnarum Europae civitatum sibi conciliarunt, America quoque censi debuit partem systematis civitatum Europaearum efficere. Nos igitur jus gentium Europaeum dicimus *principia tam usu, quam tacito consensu et pactis expressis confirmata inter populos cultiores Europae et Americae*. Videamus jam, quomodo principia hoc jure introducta vel accepta juris gentium naturalis instituta immutaverint, circumscriserint, extenderint.

Magnum Oceanum sive mare exterum jure gentium naturali rem esse nullius, quae a nemine unquam occupata, possessa et ita in dominium ac sub imperium redacta fuerit supra vidimus; et quomodo jus liberae navigationis omnibus competens, dominium imperiumque Oceani faciat illicitum. Alia tamen est quaestio num gentes quaedam, pactis, usu vel consuetudine jura sibi acqui-

-
- 2°. *Durch ausdrückliche Anerkennung ihrer Unabhängigkeit und die vertragsmässige Zugestehung wechselseitiger Rechte. (VÖLKERVERTRÄGE).*
 - 3°. *Endlich gibt es Grundsätze, die ihrer innern Wahrheit wegen gelten. (ALLGEMEIN NATÜRLICH VÖLKERRECHT).*

siverint ab aliis agnita. Sic reges Hispaniae et Lusitaniae diu jus navigandi, praecipue in Oceano Indico sibi solis competere contenderunt. Rex Lusitaniae solemniter se profitebatur: »*Dom per grace de Dios Rey, — Senhor de Guinea e da conquista e navigaçam e commercio d'Ethiopia, Arabia, Persia e da India 1)*»; ac legibus vetuit, peregrinos adire »dictas regiones, terras, maria Guineae et Indiarum aut quascunque alias terras, maria nobis subacta, in commercium sive navigationem, sive ad arma inferenda absque licentia nostra et auctoritate, poena capitali ei, qui contra fecerit, infligenda bonisque ejus universis fisco applicandis 2).» Classiariis regis jus quoque datum est, ut omnes qui contra facerent atque in hisce maribus inveni- rentur, in judicium vocarent. Profecto inde patet, Hispanos et Lusitanos nisi dominium, quod nullo jure adipisci poterant, principatum saltem affectasse. Quae tamen arrogancia nunquam jure gentium agnita est; pacta hac de re non exstant nec unquam futura sunt. Ex tacito populorum consensu, quod e. g. populus per longum temporis spatium oceanum non navigaverit, nihil probari posset, cum nulla currere possit praescriptio ubi agitur de jure merae facultatis. Omnia igitur jura, quae gentes sibi in

1) Sic Hispaniae rex dicebatur »*Rey de Castilla, — de las Indias Orientales y Occidentales, islas de Tierrafirme del mar Oceano,*» et adhuc hodie usdem vanis titulis gloriatur aequae atque iis. »*Archiduke de Austria; Duque de Borgona, de Brabante y de Milan; Conde de Abspurg, de Flandes, Tirol.*» cet. Tales tituli profecto nihil probant nisi ridiculam quorundam principum vanitatem. Tituli illi inveniuntur in decreto promulgationis Codicis mercatorii Hispanici, *Codigo de Comercio, decretado, sancionando y promulgado en 30 de Mayo de 1829. Edicion Oficial. De Real Orden.* MADRID. Oficina de D. L. AMARITA, 1829.

2) Vid. SELDEN, *De mari clauso*, l. l. c. 17. verba hujus legis etiam lingua Lusitana invenimus apud ORTOLAN, *Règles Int.* etc.

aliorum detrimentum in Oceano vel aperto mari vindicare studuerunt, jam diu a viris doctis rejecta sunt atque e jure gentium Europaeo remota, principiumque receptum est, Oceanum plane liberum esse ac omnibus patere, quod WHEATON ita expressit: »*the controversy how far the open sea or main ocean, beyond the immediate vicinity of the coasts, may be appropriated by one nation to the exclusion of others, which once exercised the pens of the ablest European jurists, can hardly be considered open at this day* 1).”

Aliter tamen res se habere videtur quod ad nonnullas alias gentes, quae dominandi cupidine abreptae partes quasdam maris minores sibi vindicarunt, et hoc jure gentium ab aliis concessum, probare conatae sunt. Inter quas Britannia inprimis sibi et dominium et imperium in maribus litora sua circumfluentibus, praecipue autem in iis, quae vulgo dicuntur *Narrow Seas*, dudum asseruit. Tale imperium Venetorum Respublica in mari Adriatico, Genuenses in mari Ligustico, et denique exeunte saeculo praecedente Dania, Suecia et Russia in mari Baltico sibi arrogarunt. Quae gentes et praesertim Britannia magna sua potentia et copiis navalibus fretae, haec jura acriter defenderunt. Quaestio illa jure gentium Europaeo tam fuit dubia, ut GÜNTHER, qui opus suum a°. 1792 edidit, non disertis quidem verbis maria ista libera dicere ausus sit, sed inter ea numeret, de quibus adhuc sub judice lis sit. Cum tamen, progrediente humanitate, hae sententiae magis magisque sint rejiciendae, nos operae pretium futuros esse existimavimus, vana ista jura in disquisitione nostra breviter recensere atque inde deducere, quatenus gentes illae jura sua tueri potuerint.

1) *Elem. of Int. law.*, Vol. I. p. 225.

Mare vulgo dictum *Narrow Seas* proprie est pars Oceani Atlantici, a Francis quoque dictum *la Manche*, a Batavis *het Kanaal*, Britanniam inter et Franciam inde ab insula *Ouessant*, Anglis *Ushant*, nostratibus *Hysant*, usque ad fretum, quod *pas de Calais* vocant. Angli jus peculiare in hanc maris partem atque in totum mare, quod Angliam, Scotiam et Hiberniam cum minoribus imperio Britannico subjectis insulis alluit, sibi esse contenderunt. In primis autem SELDENUS et post eum WELWODUS hoc defendere conati sunt, atque fuit tempus, quo eorum scripta tam magni haberentur momenti, ut Ordines Hollandiae JCTO GRASWINCKEL mandarent SELDENI opus, data opera, refellere, quam ob causam annua ei ad mortem sunt concessa. Non inutile igitur erit, praecipua SELDENI argumenta breviter exponere. Etenim ratiocinationes et probationes, quibus hoc jus jam inde a primis temporibus Anglis proprium fuisse contendit, unice nituntur locis scriptorum, quae nonnunquam arbitrario modo explicantur, ut SELDENI tantum sententiae faveant. Contendit, jam CAESARIS tempore Britannos navibus suis vimine contextis, coriis bubulis circumtextis, mare illud pernavigasse, atque ibi piscatum exercuisse. Sed respondemus cum BYNKERSHOEK: alii quoque idem fecerunt, atque Britanni non unice animo possidendi. Deinde SELDENUS demonstrat, Septentrionalis maris dominos fuisse Britannos, et mare et tellurem unicum imperii Britannici corpus constituisse, quod illi hanc maris partem vocarint *maris sui secretum* 1). Quod probat multis antiquorum scriptorum locis, ostendens ingentem doctrinae apparatus, vim autem probandi non aequam. — Deinde Oceani Britannici dominium ipsam Britanniam sequebatur devictam sub CLAUDIO et DOMITIANO Augustis, atque idem fatum cum Romanorum imperio

1) *Mare clausum*, L. II. c. 3.

subiit. Insulae Britannicae tum administrabantur a Comite quodam litoris Saxonici per Britanniam; de quo tamen vehementer disputatum est inter viros doctos, utrum Comes ille Britanniae fuerit tantum, an vero etiam litoris Britannici Cismarini. Posteriorem sententiam secuti sunt ORTELIUS, CAMDENUS, PAULUS MERULA, PHILIPPUS CLUVERIUS, quorum sententiae, in rebus antiquitatem spectantibus, profecto parvi haud sunt pendendae, sed tamen SELDENO minime placent et ab eo rejiciuntur, quippe quae opinioni suae non admodum faveant 1). — Ex his igitur satis patet, iis temporibus domini vel imperii maris ne vestigium quidem exstitisse. Revera Romani, possidentes Britanniae ac Franciae litora una cum magnis classibus in mari *Narrow Seas*, quae hoc dominium tuerentur, fortasse dici potuerunt ejus maris domini, eodem modo ut maris Mediterranei. Quod cum Romani amisissent imperium, Britanni quoque amiserunt, neque hereditatis loco recuperare potuerunt. SELDENUS tamen pergit Cap. 9. dicendo de maris Britannici dominio postquam Romanorum imperium abjecerant incolae, quod factum esse circiter a. 430. affirmat. Mox insula in Saxonum venit potestatem, qui ibi Heptarchiam condiderunt, et postea a Danis subacti fuerunt. Qua periodo utriusque gentis imperio adjunctum fuisse imperium maris, vix erat cur dubitaret SELDENUS. Dominium Anglo-Saxonum et Danorum secundum eum patet: 1°. Ex potentissimis Saxonum regni principibus. Apud annalium enim scriptores HUNTINGDONENSEM, MALMESBURIENSEM, HOVEDENUM aliosque potentia horum principum admodum extollitur. Sic EDGAR continuo classes in mari habebat (36 naves caeque robustae), ut id contra piratarum vim tuerentur. HARALDUM legimus mare navium militumque copia munivisse, ne quis hostium

1) *Mare clausum*, L. II. c. 7.

sine gravi conflictu regnum intraret, e quibus verbis luce clarius patet, haec omnia esse facta, ut Britanniae litora a Normannis defenderentur, sed nullo modo, ut sibi dominium prae caeteris gentibus, vindicaret. 2°. Patet ex victoriis navalibus, tributis et fiduciariorum clientium officiis, praecipue ex ALFREDI MAGNI rebus gestis, qui fundamenta potentiae Anglorum maritimae jecit. Sub ETHELREDO quilibet possessor 310 hidarum terrae unam navem praebere debebat; qui octo tantum hidas possidebat, lorica et galeam; quam ob causam HUNTINGDONENSIS dicit, non fuisse tantum navium numerum tempore alius cujusdam regis Britanniae. CANUTUS quoque et HARALDUS magna extorserunt vectigalia ad classem sibi comparandam, qua piratas coercerent. Sub ETHELREDO inter praeas Angliae leges occurrit Danegeldi solutio propter piratas; erant 12 denarii de unaquaque hida totius regni. Idem ETHELREDUS a SVENO, Daniae rege, ex pacto 45 naves conduxit, ut regnum mari defenderet, quae ex hoc Danegeldo solvendae erant. Quis talia argumenta legens non miretur scriptoris impudentiam dicam an levitatem, qui iis usus sit ad dominium maris demonstrandum? Nonne potius prorsus contrarium probant? Quomodo enim illi, qui vectigalibus opes suas exhauriebant, quibus classem peregrinam in suam defensionem conducerent, maris dominos esse dicere possint? — Cap. 14. SELDENUS demonstrare voluit, reges Angliae, post Normannorum adventum maris circumflui dominos semper fuisse, atque hoc ex ejus quasi territorii partis custodia sive praefectura, id est, ex jure Admirallatus Anglicani efficere studet. Atque negari non potest, inde ab hoc tempore reges Angliae sibi jus quoddam arrogasse, ad eas maris partes tuendas. HENRICUS I, instituit *Butsecarlos* 1), atque iis praecepit, ut observarent

1) *Butsecarli* seu *Buttescarlos* secundum SELDENUM sunt ministri nautici.

et prohiberent, ne quis de partibus Normanniae fines adiret Angliae. Sub HENRICO III (1216—1272) *Thomas de Moleton* dicitur capitaneus et custos maris atque partium maritimarum praefectus. Sic *Hugo de Crequeur* vocatur custos quinque portuum et maris in partibus illis. EDUARDO I (1274—1307) navigia ad mare custodiendum in tres classes divisit. EDUARDO II regnante, (1307—1312) tres Admiralli trium plagarum Angliae et maris custodiam habebant. Sic quoque in actis Parlamenti sub EDUARDO III (1327—1377) agebatur de custodia pacis, terrae, limitum Scotiae et maris. Sub RICARDO II (1377—1399) *Hugo Calverlee* factus est Admirallus maris. HENRICO IV et V regnantibus (1400—1420) in Comitibus Regni denuo de maris custodia agebatur, et sub HENRICO VI (1422—1471) editae sunt litterae regiae (*protectiones*), quibus indulgebatur liti vacatio illis, qui super salva custodia et maris defensione morarentur, cum eodem tempore in Parlamento, »it was thought fit by all the commons of the land, that it was necessary the sea be kept 1).“ Satis tamen ex hisce videre licet, nullum argumentum pro Anglorum maris dominio inde erui posse, sed omnia potius Britanniae litorum custodiam spectare, inprimis quia in iis nulla fit mentio aliarum gentium, quae hos titulos unquam agnoverint. — Neque magis dominium sequitur ex creatione Admirallorum flotae (*classis*) navium versus partes Boreales sive Occidentales sive Australes, neque ex codicillorum formula, quibus hae creationes fiebant. Plane utrumque ad jus publicum Anglorum pertinet. Hujus argumenti futilitas eo clarior patet, cum non solum Britanni sed et

seu classarii ut *Husecurli* ministri aulici, lingua Anglorum veteri. Vid. *Mare clausum*, L. II. c. 14.

1) Vid. de his omnibus SELDENUS, L. II. c. 14. et passim.

Franci, imo vero majores nostri Admirалlos suos, aliosque mari praepositos habuerint. De Francis SELDENUS hoc negare nequit, sed difficultatem suo more componere studuit. Majores nostros silentio praeteriit, et tamen memoratu dignissimum est, primos illorum navium duces fuisse vocatos *Admiraelen van der Zee* 1).

Sed fortasse majoris videatur momenti, quod in tabulis Parlamenti RICARDI II (1377) occurrat vectigal cuilibet navi per Admirallatum Septentrionalem transeunti ad maris custodiam impositum, navibus etiam quorumcunque exterorum. Quae pecuniae omnes secundum legem Parlamenti impendebantur »for the defence and sausegard of the Realme, the keeping and sausegard of the seas." Quod vectigal si revera ab aliis populis, non invitis, solutum fuisset, aliquam auctoritatem Anglis tribuere videri posset; sed cum ex historia nihil hac de re liqueat, immo e contra pateat, populos semper Anglorum arrogantiae obstitisse, hic de facto forsan, nec vero de jure sermo esse potest. SELDENUS autem

1) Hoc invenimus apud Virum nobil J. C. DE JONGE, *Geschied. van het Ned. Zeewezen.* 's Gravenhage 1833. Dl. I, p. 48 sqq. Primum ALBERTUS DUX a^o. 1397, bello contra Frisios exorto, tales Admirалlos instituere coepit, sc. duos e gente Heenvliet et Egmond, quibus tribuebatur »het opperbevel op alle 's Hertogen stroomen, zoo binnen 's lands als buiten in de Zee." Sic PHILIPPUS Burgundiae Dux, medio saeculo quinto decimo HENRICUM VAN BORSELEN, Graaf van Grampré, Heer van ter Veere, Vlissingen, Westcappel enz. honoravit titulo »Kapitein Generael en Admirael van der Zee." — Sic quoque dicitur in »Ordonnantien binnen den sceepen van orlogen (uit het boek van den Ede der stede van ter Vere, begonnen in het jaar 1520). »Dese voerscreven eeden van den sceepen van orlogen in de Ordonnantien zijn aldus geordonneert geweest by Heer ADOLF VAN BOURGONDIEN, Heere van Beveren, van der Veere etc. Admirael van der Zee by den sceepen van orlogen by hem uytgerect in Septembri XV^e een en twintich."

praecipue dominium urget ex venia transeundi, sive praeternavigandi, quam reges indulgere solebant exteris. Exemplo sit HENRICUS IV, qui *Fernando Urtis de Sarrachione*, Hispano concessit, navigare e portu Londinensi »per regna, dominia potestatemque regis usque ad villam de la Rochelle.” — Legati CAROLI VI et ROBERTI III, Scotiae regis, obtinuerunt literas commeatus (*sauf-conduits*), quibus tutus indulgebatur aditus et recessus, tam per mare, quam per terram et aquas dulces. Nemo profecto dubitabit, quin reges Angliae, ut quisvis alius rex, tale quid facere potuerint; sed quomodo hoc dominium maris probarit? — Superest, ut de alio argumento videamus. Scilicet bello ELISABETHAM inter et Hispaniae regem A. 1588 gesto, Suevi, Dani et urbes Hanseaticae a regina Angliae veniam petiverunt, ut sibi liceret in Hispaniam et Lusitaniam libere navigare, quod iis tamen negatum est. Hic SELDENUS 1), »ecce argumentum, e quo patet, ab aliis quoque gentibus Anglorum dominium in mari *Narrow Seas* agnitionem fuisse;” et profecto argumentum esset firmissimum, nisi ipse auctor addidisset: »scio licentiam ejusmodi eis negatam esse non solum dominii maris causa, sed imprimis ne hostibus commeatus afferrentur.” — En veram rationem: gentes illae impetranda venia detentionem ac perscrutationem navium suarum impedire studuerunt. Etenim cum naves Hanseaticae, non impetrata ab Elisabetha licentia, per mare Boreale iter fecissent, et tamen ante Lisboam ab Anglis caperentur, clamitabatur hac de re quasi de juris gentium laesione. Ex argumentis a SELDENO hucusque allatis, secundum nostram sententiam nihil probari potest, nisi dominandi cupido, qua Angli potentiam quandam navalem per fas ac nefas sibi arrogare tentarunt. Quamdiu maxi-

1) *Mare clausum*. L. II, c. 20.

nam Franciae Occidentalis partem possederunt atque igitur litora quoque ad utrumque freti latus, fortasse, magnis semper classibus instructi, ut mare illud tuerentur et custodirent, sicut antea Romani, sibi imperium acquirere potuerunt, quamquam vel sic tamen nunquam aliis innoxium transitum negare licuisset. Verum hoc nunquam fecerunt, atque institutio Archithalassi, Admirallorum, publicatio edictorum et quae plura sunt hujus generis, possessionem maris eis servare non potuerunt. Venia transeundi, a gentibus supra dictis rogata, fuit consilium liberam neutralium navigationem spectans, minime vero domini agnitio; magnum quoque habemus exemplum, ipsos Anglos intellexisse, imperium maritimum tantum in mare terrae proximum esse; scilicet JACOBUS (1604) edicto prohibuit, ne inimicitiae fierent in iis maris partibus, quae vulgo *Kings Chambers* dicuntur; quod plane demonstrat, eum nunquam de dominio totius maris cogitasse. SELDENUS tamen et hoc argumento utitur, sed imprimis vehementer urget, Anglis dominium imperiumque ab aliis gentibus praecipue a majoribus nostris fuisse concessum, quod ex summorum velorum et aplustrium submissione demonstrare voluit. Cujus controversiae gravitas nos movet, ut rem paulo accuratius ostendamus. Quis enim ignorat, summorum velorum et aplustrium submissionem Britanniam inter ac nostram Rempublicam ansam praebuisse bellis atrocissimis? Inprimis autem magna hac de re lis orta est in deliberationibus de pace a° 1654 inita, cum CROMWELLUS Reipublicae Britannicae potitus esset imperio. Qui unam e praecipuis pacis conditionem magnopere urgebat, Britannorum domini agnitionem in mari *Narrow Seas*. Non verebantur Britanorum legati nostris proponere articulos ita se habentes 1:

1) Invenimus articulos in »*A draught of articles of union, peace and*

Art. XIV. Uti incolae et subditi foederatarum provinciarum, cum navibus et navigiis suis mercatoriis libere navigent, vela faciant, ultro citroque commeent in mari- bus Magnae Britanniae et Hiberniae, insulisque in iis sitis (quae maria Britannica appellantur) absque damno aut in- juria a navibus aut populo hujus Reipublicae, iis inferen- dis; sed e contra omni favore, amicitia, omnique meliore modo tractabuntur et excipientur. Quin etiam cum Bel- licis per dicta maria navigent, eant, redeant, tamque ad regiones quam a regionibus cis ea, vela faciant, modo numerum in hoc tractatu definiendum non excesserint; sin vero Generales Ordines majorem navium bellicarum nume- rum in isthaec maria emittere apud se statuerint, ejus rei notitiam dictae Reipubl. Angliae ante trimestre spatium facere tenebuntur, et priusquam isthaec maria intraverint, licentiam ab ea impetrabunt, ne forte prava inter utramque Rempublicam suspicio suboriatur.

Art. XV. Quod naves et navigia dictarum foederata- rum provinciarum, tam bellica et ad hostium vim propul- sandam instructa, quam alia, sintve singula, sive in clas- sibus, quae navibus bellicis hujus Reipublicae Angliae, sive militantibus, et vexillum ejus praeferebant obviam dederint; vexillum suum e mali vertice detrahent, et supre- mum velum demittent donec praeterierint. Et si postu- latum fuerit, se visitari sinent, omniaque alia debita re- cognitionis et honoris officia dictae Reipubl. Angliae de-

confederation to be made between the Common-Wealth of England and the States General of the United Provinces of the Netherlands." Vid. de tota hac re: Verbael van H. VAN BEVERNINGK, W. NIEUPOORT, J. VAN DE PERRE, en A. P. JONGESTAL, als gedeputeerden en Extraordinaris ambas- sateurs van de Heeren Staeten Generael aan de Republyck van Eng- landt. 's Gravenhage bij H. SCHEURLEER, 1725, p. 198 sqq.

ferent, ad quam dominium et Imperium maris Britannici ex jure pertinet. — Qui tamen articuli nostris minime placuerunt 1), atque locum dederunt multis litibus ac disceptationibus. Tandem art. 13 pacis, die 15 m. Aprilis a^o 1654 inita, constituebatur: »quod naves et navigia dictarum foederatarum provinciarum tam bellica et ad hostium vim propulsandam instructa, quam alia, quae alicui e navibus bellicis hujus Reipublicae in maribus Britannicis obviam dederint, vexillum suum e mali vertice detrahent, et supremum velum demittent, eo modo, quo ullis retro temporibus, sub quocunque anteriori Regimine, unquam observatum fuit.”

Pace, die 31 m. Julii a^o 1667, Ordines Generales inter et Carolum II, Bredae inita, salutatio illa Britannis rursus eodem fere modo, quo superiori foedere, fuit concessa 2). Patet igitur ex hisce pacis foederibus, nec dominium nec imperium Britannis in maribus *Narrow Seas* fuisse concessum 3). At peior facta est Reipublicae nostrae

1) Quod patet ex litteris statim Ordinibus eorumque graphiario missis, O. I. p. 216.

2) Vid. de hac pace DE JONGE, *Geschied. van het Ned. Zeewezen*. Dl. II, A. 2, p. 472.

3) Quod in primis videre licet ex disceptationibus, de Pace anni 1654. quas invenimus in *Verbael van BEVERNINGK* cet. p. 190, ubi legimus, legatos nostros, quod ad quaestionem de mari, dixisse: »dat wij de saeke van de zee twesints considereerden; soo als die eenige eere ende respect kost geven aen de Floten en de vlagghen, ende soo als die bestondt in het gebruyck; dat wij op t' eerste seer duydelyck verklaert hadden, ende nogh seijden, dat alle eer die ooit aen de vlagghen van dit lundt bij de onsen was gedefereert geweest, dat wij die in het toekomende nogh souden doen observeren; ende op het tweede, dat dat weder tweledigh was, soo als het bestondt in het simpel gebruyck van de vaerten; ende dat die alle de werelt onverhinderdt openstonden;” — deinde p. 196. ubi dicitur: »dat wij op de eer en de waerdigheijt, in 't bejege-

haec in parte conditio, pace 19 m. Febr. 1674, inter Ordines eundemque Carolum II, icta. — Rex enim nunc voluit, ut Ordines non amplius salutationem illam, quasi merum honorem concederent, sed apertis verbis declararent, hoc fieri propter jus Britannis unice in maribus illis competens, atque a concessione illa pendere an pax futura esset an vero bellum, declaravit. Ordines igitur hisce minis adducti, nimium indulsisse videntur Regi, atque, mediante legato Hispanico DEL FRESNO, obtinuerunt, ut omissa domini voce, tantum de jure Britannorum diceretur. Art. IV. pacis igitur ita concipiebatur:” praedicti Ordines Generales Unitarum provinciarum debite ex parte

nen van schipen met strijcken van de vlagge ende 't geene daervan dependeert ons in klaere termen in de vorige conferentie verklaerd hadden, ende dat wij die verklaringe noghmaels reitereerden, sonder dat wij begrijpen konden, dat men ons iet dienaengaende naeder vergen wilde, ende nopende de visscherije, gelijk wij niet gekomen waeren om te disputeren, dat wij vertrouwden dat men ons in den aenvangh van soo een naeuwe Unie als wij praesupponeerden, ook niet soude willen praecipue in een saecke, daer van wij nu bij gevolg van vorige Tractaeten ontrent 180 jaren sonder interruptie waeren in possessie, enz. Et de conditionibus pacis oblatis, praecipue autem de art. XIV dicitur p. 216: »dat wij ontrent het 14^e art. onse meeste indignatie vertoonen souden, daer van een gelimiteerde Maght ter zee, ende consent van 't Parlement gesproken wordt, om de onredelijckheit ende extravagantie met sulcke termen voor te stellen, dat alle vordere conferentiën souden blijven afgesneeden, indien sij proulabement hetzelfde niet en reghten; sijnde te meer daertoe gepor, dat wij siende sulcken verkeerden uitslagh, van 't geen wij met redenen ten goeden hadden moeten hoopen, oordeelden voor den staet van haer Hoog. Mog. best te sijn, te breecken op een point, daer in alle Christen princen in Europa geinteresseert sijn, ende de Eng. regeringe souden moeten condemnieren, als dat sij ons tot die selve extremitijt gebraght hadden, met haer gesustineerde Reght van Zee.” E quibus locis omnino patet, majores nostros tantum salutationem maritimam non vero dominium imperiumque maris, Britannis illa occasione concessisse.

sua agnoscentes jus supra memorati Ser. Dom. M. Brit-
regis, ut vexillo suo maribus infra nominandis honos ha-
beatur, declarabunt et declarant," cet. Hac pace quoque
fines sunt constituti, intra quos hoc jus Britannis in pos-
terum competeret, quod antea multis litibus ansam pre-
buerat, cum Britanni hoc in omnibus fere maribus exigere
voluerint. — Fuit igitur constitutum, ut salutatio fieret in
omni isto mari, quod promontoriis Septentrionis et Finis-
terrae interjacet 1). — Ex hisce omnino patere videtur,
Ordines, iis temporibus, imperium quoddam in maribus illis
concessisse Britannis, de quo ita Lord TEMPLE: *»qu'un des
principaux points de la plus grande difficulté fut celui
du pavillon, qui a été porté aussi loin, que sa Majesté
pourrait la désirer; et de cette manière la reconnaissance
de le souveraineté de la couronne dans les Narrow Seas,
concedée par convention avec le plus formidable de nos
voisins, prétension qui n'avait jamais été reconnue par
les plus faibles entre eux, autant que je n'en souviens,
et qui n'avait servi jusqu'ici que comme prétexte de
querelles 2)»* BYNKERSHOEK igitur, e nostra sententia, res
lenius sed non accurate expressit, cum omnes illas stipula-
tiones nimiae Ordinum indulgentiae tribuit, dicens, "usu maris
et fructu contenti Ordines, aliorum ambitioni, sibi non damno-
sae, haud difficulter cedunt." Quae tamen concessiones Bri-
tannis semper maximopere cordi fuere. Sic pace 10. m. Junii
a^o 1784, denuo de his cautum est. Cum enim jam sub
auspiciis Comitum DE VERGENNES, de ceteris pacis conditioni-
bus convenerat inter legatos nostros et Angliae, iterum

1) Vid. J. C. DE JONGE, *Geschied. van het Ned. Zeewezen*. Dl. III, St. 1, p. 390 sqq. BYNKERSH. *De dom. maris*. C. 5.

2) Verba invenimus apud WHEATON, *Histoire des progrès du droit des gens en Europe*, p. 101.

voluerunt atque impetrarunt Britanni, ut salutationes maritimae eodem modo fierent, quo fuerant constitutae pacto a 1674 1). Ut tamen rem patriae nostrae non levis momenti prorsus absolvamus, nobis superest dicere, foedere Ambianensi, die 25 m. Martii a 1802 icto, juri suo tacite derogasse Britanni intelligi posse, cum in eo nihil hac de re dictum sit, et res ideo rediisse videatur ad id, quod mos fert Europaeus 2). — Sed ut a digressionem, quam

1) Vid. RENDORE, *Memoriën dienende tot opheldering van het gebeurde gedurende den laatsten Eng. oorlog*. Amsteldam 1790. Dl. II, p. 263. — Hujus pacti articulus 2, ita sese habet: »*qu'à l'égard des honneurs du pavillon et du salut en mer par les vaisseaux de la république, vis à vis de ceux de sa Majesté Britannique, il en sera usé respectivement, de la même manière qui a été pratiquée avant le commencement de la guerre, qui vient de finir.*»

Memoratu etiam haud indignum videtur, Britannos eodem tempore valde ursisse liberam per Mare Indicum Orientale (*de Oostersche Zeeën*) navigationem. Cui tamen rei Societas Indiae Orientalis quam maxime adversata est, existimans, hanc navigationem magno detrimento mercaturae futuram, praecipue ad insulas Moluccas. Britannorum legati, ut hoc jus liberae navigationis suis vindicarent, usi sunt argumento: »*dat hun Koning niets eischte dan t'geen hem en alle Vorsten ingevolge van 't Recht der volkeren, aan wien het bevaeren der opene Zeeën niet betwist kan worden, toekwam.*» Pacis art. 6 igitur sonat: »*Les états généraux des Provinces Unies promettent et s'engagent à ne point gêner la navigation des sujets Britanniques dans les Mers Orientales.*» RENDORE, O. I. Dl. II, p. 249, 265 sqq.

2) Ita res saltem explicatur in *Algemeene aanmerkingen van het Staatsbewind over het vredetractaat*: quas invenire licet apud C. VAN DER AA, *Geschiedenis van den jongstgeëindigden oorlog tot op het sluiten van den vrede te Amiens*. Amsterdam bij ALLART, 1807. Dl. IX, p. 471 sqq. ibi enim dicitur: »*Door het ontwijken van eenige hernieuwing van vorige tractaten met Engeland zijn de Republ. en derzelve commercie, vooral hare Indische relatiën, ontheven van zeer nadeelige stipulatiën, welke de oude banden met Groot Britanniën zoo drukkende maakten. De veronderende verplichting van het strijken der vlag voor de Eng. schepen,*

ipsius rei gravitas postulare videbatur, ad argumentum nostrum redeamus, quidquid sit et quocumque demum modo quis concessionem illas Ordinum accipere velit, maximi est momenti, nullam unquam aliam gentem hoc Anglorum jus agnovisse. Certe LUDOVICUS XIV, pace Bredae inita, obstitit, ne mare *Narrow Seas* diceretur mare Anglicanum. Sic quoque edicto 15. m. Aprilis 1689 vetuit praefectos navium suarum aliorum populorum naves apulstre ejusdem ordinis ferentes salutare, iisque simul injunxit, ut hoc casu salutationem a peregrinorum navibus poscerent ubicumque sive mari seu in litoribus invenirentur. Quae igitur de solenni velorum demissione disputat SELDENUS, quamque ab omnibus gentibus factam esse contendit, eo redeunt, ut Ordines Belgii Foederati quidem, ad demum a° 1674, hoc Anglis tribuerint, quae tamen concessio, utpote res inter alios acta, aliis nocere non potuit. — Denique superest argumentum, a SELDENO ultimo loco allatum; vetus nempe libellus sive potius actio anni 1303, quae instituta legitur a pluribus gentibus una cum Anglis in REGINERUM GRIMBALDUM, Franciae classis praefectum: qua opportunitate gentes illae dominium Anglorum agnovisse dicuntur 1). Libellus ipse Francica Normannorum lingua conscriptus a SELDENO afferitur, atque secundum eum exstat in arcis Londinensis (*the Tower*) archivo. Quid autem de hocce libello dicendum? Quid de facto, cujus mentio ne minima quidem in historiis fit, sive Francorum, sive Anglorum, sive aliorum? TILIUS in collectione tractatum hujus rei nihil dicit. Omnino igitur libellus iste spurius videtur dicendus, cum An-

waar tegen onze voorvaderen zoo sterk doch vruchteloos geijverd hebben, is door het tegenwoordig tractaat geheel vervallen." — Quae tamen sententia nobis omni dubio carere non videtur.

2) SELDENUS, *Mare clausum*, L. II, c. 27 et 28.

gliae reges profecto hoc documento usi fuissent ad jura sua defendenda; praeterea, ut supra vidimus, illustris TEMPLE, a° 1674, disertis verbis, Anglorum titulum ante hoc tempus agnitum fuisse, negat. Itaque jure gentium Europaeo ea, quae SELDENUS docte de Anglorum maris dominio disputat, nullo modo stare posse, nobis procul dubio est.

Sed fortasse aliquis objiciet, Anglos potentia illa navali, qua prae aliis gentibus valent, principatum aliquem acquisivisse. Respondemus, quid hoc ad jus? principatus ille tantum est facti et potentiae, minime vero juris. Cogitari solummodo potest belli generalis temporibus, apud populum classibus praevalentem; per breve temporis spatium durat, atque circumscribitur illis maribus, quae revera a classibus tenentur ac custodiuntur. Principatum enim totius Oceani nihil aliud esse nisi nomen inane, exemplo probari potest luculentissimo, bello scilicet versus finem superioris et initio hujus saeculi Britanniam inter et totam fere Europam, Francorum dominationi obnoxiam, gesto. Tunc enim Britanni, quamquam dici possent ut nunquam antea, principes maris, communi hujus vocabuli sensu, quamquam principatum illum magnis classibus, multis victoriis navalibus, in omni fere oceano nacti essent, impedire tamen non potuerunt, quominus unus pirata Francicus (*Ka-per*) centum quinquaginta naves caperet in ipsis illis maris partibus, quas sibi proprias Britanni semper dictitarunt 1).

Quod ad reliqua maria clausa attinet, cum Respublicae Genuensis et Veneta minus navalibus copiis valerent, jura sua non tam diu quam Britanni propugnarunt.

1) Pirata ille vocabatur »le Vengeur» et erat ex urbe Dunkerque. Cujus facti veritatem affirmare possumus quippe quod ab oculato teste accepimus. Audacia piratis tanta erat, ut naves etiam in amicarum gentium portibus persequerentur ac caperent. Vid. hac de re *Publicatie van het intermediair*

Ceterum auctores, qui hac de re scripserunt, iisdem fere modis dominium et imperium illud probare voluerunt, quibus SELDENUS. Quod ad Genuenses, PETRUS FRANCISCUS BURGUS in opere, cui titulus, *De dominio Serenissimae Genensis reipublicae in mari Ligustico*, Genuensibus in isto mari jus proprium asseruit. Quod opus JCTUS TH. GRASWINCKEL in libro, anno 1652 Hagae edito, refutavit 1). Classes tamen, quae hoc dominium reipublicae servare ac tueri debebant, secundum BYNKERSHOEK superbiae illi impares erant; dicit enim: »habent (Genuenses) triremes, sed domi, non in Ligustico; ceterum eas non armant, nisi e re publica esse videatur mare a vicinis Afris purgare, vel si quid his est simile 2). Ignoramus quoque, an ab aliis populis aut usu aut pactis unquam aliquid factum sit, quo dominium illud agnosceretur; contra omnes ibi semper libere navigarunt.

Respublica Venetorum, copiis navalibus quondam praecleara, sibi jus singulare in mari Hadriatico (*Golfo di Venezia*) vindicavit, quod a multis scriptoribus defensum, a multis quoque improbatum fuit. JULIUS PACIUS inter priores numerandus est, cujus opus exstat de dominio maris Hadriatici; sic quoque Pater PAOLO SARPI, scriptor historiae concilii Tridentini, opus edidit, cui titulus: *del dominio del mare Adriatico e sui regioni per il jus belli della Serenissima republica di Venezia. Venet. 1676* 3). —

Uitvoerend Bewind der Bataafsche Republiek, betreffende het nemen van neutrale schepen, op de stroomen en in de havens van dit Gemeenebest, door Fransche en andere kaperschepen. Gearresteerd den 12 Aug. 1798. Invenitur apud J. VAN DE POLL, Verzameling van Vaderl. wetten en besluiten.

1) GRASWINCKELII Operi titulus est: *Maris liberi vindictiae adversus Petrum Franciscum Burgum, Ligustici maritimi domini assertorem.*

2) BYNKERSH., *De dom. maris.* C. 6.

3) Hoc opus citatur a WHEATON, *Int. law.* Vol. I, p. 227. De dominio.

ANTONIUS PEREGRINUS *de jure fisci*, inter alia dicit: »sit conclusio, piscationis et jura piscariarum in Hadriatico esse de regaliis principis Veneti; atque ideo vetare, permittere et super eas gabellas indicere posse.” Argumentum quoque hujus domini invenisse sibi visa sunt in eo, quod multi principes medio aevo a republica veniam libere transeundi per mare illud rogaverint, uti Comes RADULPHUS SALENSIS, a°. 1399. Imperator FREDERICUS III a°. 1478 et 1479 a principe Venetorum JOANNE MOCENICO et republica postulavit licentiam ex Apulia frumentum transvehendi per dictum mare. Sic etiam MATHIAS, Hungariae rex, a°. 1482. Apud nonnullos scriptores mentio etiam fit teloneorum a Venetis exactorum. A°. 1263 prima vecigalia imposita sunt, et secundum FLAVIUM BLONDUM ad haec custodienda creatus est magistratus, navigiis praefectus, qui, ne legi fieret fraus, die noctuque utriusque litoris plagas et portus perlustraret. Anconitani vero huic instituto oblocuti sunt; et quamvis res, more illius temporis, arbitrio Papae GREGORII X subjiceretur, atque deinde ab Abbate Nervosiae contra eos dirimere-tur, inde tamen non sequitur, omnes respublicas imperium hocce agnovisse. Aliud argumentum scriptores inveniunt in matrimonio, quotannis a summo Reipublicae magistratu cum mari inito, qua occasione ille dicere solebat: »Desponsamus te mare in signum veri et perpetui domini.” Cui solenni-tati interfuerunt quoque aliorum populorum legati. E quibus tamen omnibus nihil effici potest; nam, licet Veneti magis quam aliae gentes mare illud pernavigaverint, hoc semper factum est mercandi causa, non vero possidendi animo. Ita-

maris Hadriatici conferri possunt SELDENUS, *Mare clausum*, L. I, c. 26. BYNKERSH. *De dom. maris*, C. 6. GÜNTHER, *Das Europäische Völkerrecht in Friedenszeiten*, Th. II, p. 45. e quibus argumenta nostra breviter descripsimus, cum veterum illorum auctorum scripta hodie difficile aut omnino non inspicere possint.

que hic etiam primum domini imperiique elementum deerat. Venia a principibus quibusdam rogata plenam agnitionem non prodit, neque alias gentes obstringebat. Telonea statim ab iis, quorum maxime intererat, negata esse vidimus, nec sponsonis solennitas simplici legatorum praesentia populos, quos representabant, obstringere potuit. — Denique cum Respublica Veneta Austriaci imperii provincia facta sit, quodlibet imperium simul evanescere debuit. Neque ad hunc usque diem illo domini titulo unquam gloriata est Austria 1). — Postremo hic non est praetermittendum, gentes maris Baltici litoribus adjacentes, maxime tempore belli, cui sese immiscere nolebant, mare illud clausum considerasse et ita haberi voluisse 2). Sed et hae ipsae gentes postea hac de re dissentiebant, et dudum Polonia et Suecia arrogantiae Danorum obstiterunt. NEYRON quidem contendit Russiam, Sueciam et Daniam Ao. 1730 mare Balticum inter se divisisse, sed secundum GÜNTHERUM in pacto isto de salutationibus maritimis agebatur, non vero de dominio vel divisione hujus maris 3). Idem auctor etiam recte animadvertit, hanc conventionem aliis gentibus nunquam nocere potuisse, neque eas obstringere. Quae etiam fuit ratio, quare principium neutralitatis armatae A°. 1780 et 1800 et pacti a°. 1794 Daniam inter et Sueciam initi, quo de securitate maris Baltici cavebatur, a Britannia, bello Russiae indicto A°. 1807, non agnitum fuerit.

Rejectis igitur omnibus, quae proprie ad historiam hujus controversiae pertinent, dicere possumus principium juris

1) Quod etiam ORTOLAN, *Règles Int.* Vol. I, p. 166 observat dicens: *aujourd'hui l'Autriche, quoique possédant Venise, ne le revendique pas.*

2) Scil. tempore primae neutralitatis armatae A°. 1780. Vid. MARTENS, *Recueil* etc. Vol. II, p. 84, 135.

3) GÜNTHER, *Das Europäische Völkerrecht in friedens Zeiten.* Th. II, p. 42.

gentium hodierni, omnia maria externa esse libera 1), c-
solum mare accolens latiori strictiorive sensu, territorii par-
tem efficere. — Nominatim tamen a scriptoribus inter ma-
ria libera recensentur: mare Lusitanicum, Hispanicum, Gal-
licum (*mer d'Aquitaine*), Germanicum (vulgo *deNoordzee*),
mare Album, Mediterraneum, Nigrum, Aegaeum, ac secun-
dum supra dicta, mare Balticum et sinus Bothnicus, mare
Anglis *the Narrow Seas*, mare Ligusticum et Hadriaticum.

Mare autem accolens, hoc est, quatenus ei e terra,
classibus vel aliis modis continuo imperari potest,
territorii partem esse, quod jam jure gentium naturali
locum obtinuisse vidimus, nunquam jure Europaeo in du-
bium est vocatum. Sed quaestio quatenus gentes domi-
natum illum exserere possent, ansam praebere debuit mul-
tis difficultatibus sententiarumque diversitati. Fuerunt JCI,
qui imperium civitatis extenderent ad milliaria centum,
alii ad sexaginta, uti BODINUS, qui: »quoniam," inquit, "aequor
et mare ipsum privatorum proprium esse non potest, jure
quodammodo principum omnium maris accolarum communi
receptum est, ut sexaginta milliaribus a litore princeps
legem ad litus accedentibus dicere posset 2)." BODINUS
hoc ad majestatis jura refert. Sunt autem alii secundum
BYNKERSHOEK, qui ad duorum dierum iter hoc extendunt;
alii quousque humana vox audiri possit; alii quousque ocu-
lorum acies porrigatur. Ita definiebatur a PHILIPPO II,
Hispaniae rege, in legibus nauticis, quas a° 1563 Belgis
dedit, ubi exteri aliis vim facere vetabantur intra spatium,
quo e terra prospici posset. Eatenus igitur mare subditum
esse voluit. Scriptores Itali plerumque imperium ad mil-
liaria centum extendunt; sic quoque scriptor Hispanicus

1) WHEATON, *Int. law.* Vol. I, P. 225.

2) BODINUS, *De Republica.* L. I, c. 10.

CARLOS ABREU 1. — Eandem sententiam WELWODUS defendere dicens: "mare ipsum ad centum usque miliaria pro territorio districtuque illius, cui proxime appropinquat, assignatur 2)." Alii denique distantiam illam pendere voluerunt a ratione geologica, atque contendunt maris fundum terrae continuationem existimari debere eousque, quo catapiratis (*het diep lood*) metiri possis 3). Quae tamen opinio magnis laborat difficultatibus, cum controversiae dirimendae non semper apta sit. Nonnunquam enim litora tam abrupta sunt, ut catapiratae iis quamproximae nullum inveniunt fundum, quo igitur casu gens adjacens nullum prorsus territorium haberet aquaticum, quod aliis locis contra ad plurimum milliarium distantiam extendi posset 4). Cum tamen tales fines fuerint incertissimi, BYNKERSHOEKIO 5) rectius visum est, »potestatem terrae eo extendi, quousque tormenta explodantur;" quam sententiam ab eo inde tempore magis magisque juris gentium Europaei periti seculi sunt. Itaque etiam jure hodierno regula valet; »terrae dominium finitur ubi finitur armorum vis." Sed ex hac regula uti ex iis, quae de jure defensionis ac securitatis, quod unicuique genti competit, diximus, sequitur, BYNKERSHOEKII doctrinam non semper sensu nimis restricto esse accipiendum. Nam profecto unicuique populo licet, exigente necessitate, hoc imperium latius extendere dummodo aliis non noceat. — Quare HEFFTER dicit, imperium illud ex-

1) In opere, cui titulus *Tratado juridico-político sobre las presas marítimas*. Primum prodit Cadix a^o. 1746. Exstat quoque versio Francica cum adnotatione, auctore M. BONNEMANT, Parisiis a^o. 1802. edita.

2) WELWODUS, *De dom. maris*, p. 13.

3) Vid. VALIN, *Commentaire sur l'Ordonnance de 1681*. Liv. 5, tit. 1 de la liberté de la pêche.

4) ORTOLAN, *Règles Intern.* Vol. 1, p. 171.

5) *De dom. maris*, c. 2 in fine. GÜNTHER, Th. II, p. 52.

tendi: »auf das ganze Küstenmeer, so weit es von der Küste aus oder durch stets gegenwärtige Seemacht und Vertheidigungsanstalten in einem ausschließlichen Besitz gehalten werden kann 1):“ quod omnino huic dominio latiores fines dare videtur. Eandem sententiam etiam MARTENSIIUM propugnasse, jam supra vidimus. Quae tamen semper exceptio regulae generalis, intra justos necessitatis fines erit concludenda.

Vox litora (*kusten*) comprehendit omnes territorii appendices naturales supra aquam sese extollentes, licet neque habitationi neque munitioni pares sint. Omnia autem mari submersa non ad ea pertinent, licet revera terrae sint appendices. In hoc igitur casu, cum armorum vis eoque extendi non possit, distantia trium milliarium a litoribus fines constituit, quod jam multis pactis receptum est. SCHMALZIUS 2) quoque dicit, vulgo gentes Europaeas sibi invicem dominium maris litoribus accolentis ad trium milliarium spatium concessisse, atque in Germania neminem esse, qui territorii domino hoc dominium denegaret, et hoc cum jure omnes externos ab usu rerum maritimarum excludendi. — Eodem fere modo jure gentium Europaeo recepta est jurisdictio territorialis in maris partes litora Britanniae alluentes, vulgo cameras regias (*Kings-Chambers*) dictas. Sunt camerae illae maris partes, separatae lineis rectis, ab uno in alterum promontorium ductis 3). Scilicet, occasione pacis a JACOBO, Britanniae rege, cum Hispanis a^o 1604 initae, manente bello cum Batavis, con-

1) *Das Europäische Völkerrecht der Gegenwart*, p. 131.

2) SCHMALZ, *Teutsches Staatsrecht*, § 229. KLÜBER, *Droit des gens* etc. § 130, note a.

3) WHEATON, *Int. law*. Vol. I, p. 217. IDEM, *Histoire des progrès* etc. p. 103. SELDEN, *De mari clauso*, L. II, c. 22.

stitutum est, ut Angli nullas paterentur inimicitias in iis maris partibus, quae illis propriae essent censendae. Hae partes fuere camerae illae; promontoria vel loca, e quibus lineae istae ducebantur viginti septem fuere numero, et ordine ita a SELDENO recensentur: »*Holy Island, the Sowter, Whitby, Flamboroughhead, the Sporne, Cromer, Winterton-Nesse, Casternesse, Laystof, Estnesse, Oxfortnesse, the Northforeland, the Southforeland, Dungenesse, Beach, Dunenose, Portland, the Start, the Ramme, the Dudman, the Lizard, Landsend, Mildford, St. Davidshead, Bearsie, Holyhead et Mona insula.*” Quae maris partes igitur secundum jus gentium hodiernum censendae sunt partes territorii Britannici, neque tam late patent, quin hoc per jus quoque gentium naturale liceret. Idem imperium Angli intra duo miliaria a litoribus sibi vindicant, praecipue ut commercia illicita coerceantur.

Lege 28 m. Augusti, a' 1833 cavetur; ne naves peregrinae, mercibus vetitis onustae, intra milliare accedant vel in mari illo vagentur. Istiusmodi enim naves, monitione facta, intra quadraginta octo horas mare istud relinquere debent, quod ni faciant merces fisco cedunt 1). Idem principium in Francia quoque invaluit in sinibus et portibus juxta litora. Ita in articulo 9 Conventionis de piscatione cum Britannia factae, d. 2 m. Augusti A' 1839, legitur: »*Les sujets de sa Majesté Le Roi des Français, jouiront du droit exclusif de pêche dans un rayon de 3 milles, à partir de la laisse de basse mer, le long de toute l'étendue des côtes de France, et les sujets de sa Majesté Britannique jouiront du droit exclusif de pêche dans un rayon de 3 milles de la laisse de basse mer, le long de toute l'étendue des côtes des îles Britanniques.*

1) ORTOLAN, *Règles Internat.* etc. Vol. I, p. 178 et 179.

Bien entendu, que sur cette partie des côtes de France qui se trouve entre le cap Carteret et la pointe de Menza, le droit exclusif de toute espèce de pêche n'appartient qu'aux sujets Français en dedans des limites mentionnées en l'art. 1 de la convention. Il est également entendu que le rayon de 3 milles fixant la limite générale du droit exclusif de pêche sur les côtes des deux pays, sera mesurée pour les bayes dont l'ouverture n'excédera pas 10 milles, à partir d'une ligne droite allant d'un cap à l'autre."

Eodem jure quoque utuntur Republicae liberae Americae Septentrionalis, in sinu Americanis the Delaware bay atque in aliis, quos partes territorii esse censent. — HEFFTER ac LUSITANUS PINHEIRO-FERREIRA in adnotatione ad MARTENSII opus, duplicem territorii limitem statuere volunt, alterum scil. imperii, alterum politiae. HEFFTER enim dicit: »ein bloßes hereinkommen in diese Polizeigrenze kann weder die Gerichtsbarkeit noch ein Besteuerungsrecht von Seiten des Küstenlandes begründen; diese Befugnisse treten vielmehr erst in Kraft mit dem wirklichen Ueberschreiten der eigentlichen Gebietsgränze 1).» FERREIRA hac occasione ita loquitur: »tout aussi insoutenable, mais plus révoltante encore est la prétention de certains gouvernements, qui exigent des vaisseaux, qui naviguent en dedans de cette ligne frontière, de rendre des honneurs et des saluts à leurs forteresses." Idem auctor tamen p. 451: »quant aux saluts à rendre soit aux forteresses, soit aux vaisseaux, ils sont fondés sur la nécessité, qu'il y a de la part des vaisseaux, qui en approchent, de constater qu'ils reconnaissent les droits appartenant au territoire dans les eaux duquel ils s'avouent

1) Das Eur. Völkerrecht der Gegenwart, p. 136.

entrés, et la juridiction des autorités locales, tant de terre que de mer.” Secundo hoc loco FERREIRA igitur bonum et necessarium dicit, quod paulo ante *insoutenable* et *révoltant* vocaverat. Sententiae illae sibi constare non videntur, nisi statuamus FERREIRA, loco primum a nobis allato, cogitasse de limite politiae, secundo de debita civitatis imperio reverentia. Quidquid est, nobis videtur haec distinctio parum commendanda. Quaestio enim distantiae per se jam satis intricata nec unquam sine pactis expressis vel usu tacito accurate definienda, duplici laboraret difficultate. Praeterea non intelligimus, quomodo gens institutiones politiae facere atque igitur dominatum suum extendere et in alios exercere possit extra territorii fines atque in rem nullius, cujus usus omnibus aequè patet. Nostro iudicio mare, quousque continuo possideri e terra potest, aut quousque hoc pactis expressis constitutum vel diuturno usu introductum est, censeri debet partem territorii efficere, atque igitur civitas in ea maris parte omnia facere et instituere potest, quae utilia vel necessaria putet. Civitas vel civitatis princeps in eam partem idem exercet dominium eminens, quod in terram. Extra hos fines vero nullum habet jus, et qui discrimen fines inter territoriales atque politiae quaerunt nobis tantum nodos in scirpo quaerere videntur. WHEATON hac de re nihil habet, praeter definitionem: *»the maritime territory of every state extends to the ports, harbours, bays, mouths of rivers and adjacent parts of the sea enclosed by headlands belonging to the same state. The general usage of nations superadds to this extent of territorial jurisdiction a distance of a marine league, or as far as a cannon shot will reach from the shore along all the coasts of the state. Within these limits, it's rights of property and territorial jurisdiction are absolute and*

exclude those of every other nation 1).” Quilibet igitur populus inter hos fines imperium exercet, ibique nullis pactis prohibentibus, politiam et custodiam litorum agit, quibus se submittere quilibet peregrinus tenetur. Populo jus est in rationes eorum adventus inquirendi et si suspicionis periculive metus adsit, sibi cavendi 2); sic quoque ob morbum pestiferum et propriae salutis curam naves in statione retinendi, et perscrutandi; ita etiam omnia instituendi, quae commercio illicito obstare possint. Inprimis vero genti jus est omnes actus hostiles prohibendi, vel etiam, violato hoc territorio, manu armata interveniendi. Supra vidimus de JACOBO I. Angliae rege, cavente, ne inimicitiae fierent in Cameris regis. Celeberrimus quoque LEOLINE JENKINS, judex Admirallatus, CAROLO II et JACOBO II regnantibus, judicavit, omnes naves captas (*prijzen*) a peregrinis intra hos fines, dominis fuisse restituendas, ob territorii neutralis violationem 3). Ipse BYNKERSHOEK 4) damnat, quod multi populi et nominatim Batavi inimicitias fecissent intra hos fines saeculo septimo decimo. Unam tamen admittit exceptionem; quando scilicet, impetus in hostem factus est extra fines territorii neutralis; quo casu, contendit licitum esse, etiam intra territorii fines inceptum certamen ad finem perducere, »*dum fervet opus*;” ea tamen conditione, ut si neutrales inde damni quid acceperint, hoc factum hostile sit considerandum. Fatetur hanc distinctionem ante eum a nemine esse factam, et inter varias gentes a solis Batavis esse assertam. Principia, quibus haec territorii neutralis sanctitas fundatur, et di-

1) *Int. law*, Vol. I, p. 215.

2) HEFFTER, *Das Völkerr. der Gegenw.* p. 135.

3) WHEATON, *Histoire des progrès etc.* p. 103.

4) *Quaestiones juris publici.* L. I, c. 8.

stantia ad quam extendatur perspicue cognoscuntur e causa navis captae in ostiis fluminis Mississippi, judicata a GUILIELMO SCOTT (*Lord Stowell*). Ante ostia, scilicet, hujus fluminis, sitae sunt multae insulae ex luto et arborum truncis conflatae. Orta est quaestio, essentne hae insulae, omni cultu carentes, censendae pars territorii Americani, an vero terra nemini competens (*a kind of no mans land*), cum non satis essent firmae et idoneae habitationi vel alii usui; essetne igitur ab illis insulis limes territorii computandus, an vero a castello Balise ab Hispanis in terra firma constructo. Doctus tamen iudex pronunciavit, fines territorii esse computandos ab his insulis, naturalibus litorum appendicibus 1). Eo igitur usque territorium tendit ejusque violatio nefas est. Eandem sententiam sequitur ORTOLAN dicens: »*la plus forte portée du canon est la meilleure mesure. Bien entendu que la distance ne commence à compter que du point où il y a mer navigable* 2).»

Turpissima itaque atque omnibus tam juris naturalis quam gentium praeceptis contraria fuit Anglorum agendi ratio, cum mense Augusto a' 1665, naves ex India Orientali in patriam nostram revertentes, quibus praerat admirallus DE BITTER, in ipso Norvegiae portu Bergensi, aggressi easque capere conati sunt. Cum ante proelium a Danis deditio-nem classis Batavae postularent Angli, hoc tulerunt responsum: Danos nunquam tale quid facturos esse, cum Batavi, amici et socii eo appulissent atque recepti essent, immo se, exigente necessitate, Batavos esse defensuros, atque minime passuros, ut urbs et portus, qui omnibus amicis aequae et sociis pateret, ab Anglis violaretur. De-

1) Totam rem vide apud WHEATON, *Int. law*. Vol. I, p. 216 sqq.

2) *Règles Intern.* Vol. I, p. 175.

clarabant denique, eum, qui primus inimicitias inciperet repulsum-iri, primum offenso omnem amicitiam auxilium-que se esse praestituros 1). Ejusdem juris gentium violationis rei fuere etiam Batavi, qui nimirum voluerunt, ut piratae Dunkerkenses usque in portibus Britanniae a nostratibus caperentur. Tale quid cum territorii sanctitate nullo modo conciliari potest, atque tum demum probandum videtur, si expressis verbis, pactis foederibusve sit concessum 2). Nefarium igitur fuit Edictum Ordinum a^o 1639, quo Admirallo TROMP jussus est classem Hispanicam persequi atque delere, ubinam inveniri posset. Quod, uti notum est, adduxit TROMP ad proelium navale nobis ceteroquin gloriosissimum in portu Duins 3).

1) Rem totam narrat W. SCHOUTEN, *Oost-Indische reisbeschrijving*, B. III, p. 214 sqq. qui ipse proelio interfuit.

2) Sic, cum anno 1598, navis bellica nostra, cui praeerat LUCAS JASPERZ, in portu Honfleur a magistratibus hujus loci detineretur, quia piratam Dunkerkensem usque in portum persecutus esset, postulante legato nostro FRANCISCO ARSENIO, a rege Franciae HENRICO IV constitutum est, ut navibus Republicae bellicis fas esset, piratas illos usque in portus Franciae persequendi. Testimonio sunt Ordinum Generalium »*Resolutiën, Acten, Brieven, Depeches* 1598—1601. (Jovis IX. Novembris 1598.) *Ontfangen eenen brieff van Doctor AERSSSEN geschreven tot Parijs den 10 Novembris, ende is goetgevonden, dat men de collegien ter Admiraliteijt sul senden copie van de brieven des Conincx, die bij sijne Majesteit op te clachte van den voorsz. AERSSSEN geschreven sijn aen die van Honfleur ende andere havenen van Vranckrijck tegen de zeerovers van Duijckercken, die den Coninc consenteert vereolcht te werden bij onse schepen van oorloge lot in de havenen van Vranckrijck.* Vide totam rem in opere nuperrime edito, cui titulus: *Lettres et négociations de PAUL CHOART, Seigneur de BUZANVAL et de FRANÇOIS D'AERSSSEN publiées pour la première fois par G. G. VREEDE. Leide chez LUCHTMANS. 1846. p. 12. sqq.*

3) Ipsius Edicti verba sunt: »*de Spaansche vloot te vernielen zonder eenige aanschouw of regard te nemen op de havenen, reeden, of buaijen van de Koningrijken, waar dezelve zoude zijn te bekomen.* Vid. FLOOS VAN ANSTEL, *Verhandeling enz.* p. 58. sqq.

Jus autem cujuslibet civitatis in hoc territorio maritimo quosdam honores exigendi, aut aplustrium demissione, aut instrumentorum bellicorum explosione, nobis extra omne dubium videtur. Est enim, monente FERREIRA, agnitio summi civitatis imperii, intra cujus fines aliquis pervenit. Quod dudum jam agnitum atque acceptum fuit, licet nonnunquam eo valde abusi sint populi. In patria nostra constitutum est decreto Ordinum Hollandiae 16 m. Maji, a¹ 1670, ut omnes naves Batavae per Oresundam navigantes castellum Cronenburgense salutarent eodem modo, quo aliae gentes 1). Sic quoque, cum classis nostra, ducibus admirallis DE RUYTER et VAN GENT, ad sex milliaria a Walacria insula in ancoris teneretur, a nave Angliae regia, *Mertin* dicta, salutata est; quamquam postea Aegli litem hac de re Ordinibus intenderunt, quaerentes, classem nostram summorum velorum demissione principatum eorum maritimum non agnovisse. Recte nostrates judicarunt, Anglos, licet navis regium haberet aplustre, et uxorem legati TEMPLE veheret, primum salutare debuisse explosione tormentorum bellicorum, cui salutationi postea demum ab Admirallo VAN GENT respondendum erat 2). Patet ex his principiis, quae ubique fere valent, quam iniquae sint Hispanorum, Anglorum et Francorum ratiocinationes contententium, tales honores non sine discrimine, omnibus Rebuspublicis esse tribuendos. Volunt enim primum tribui honorem navibus suis praetoriis in portum intrantibus 3). Sed hoc ratione careret, et non minus esset iniquum, quam

1) BYNKERSH. *De dom. maris*. C. 4. in fine. — *Groot Placaatboek*. Tit. II. Resol. 4 et 5. d. d. 16. m. Maji. 1670 et 3. m. Januarii 1671.

2) Vide haec omnia apud BRANDT, *Leven van den Admiraal DE RUYTER*, p. 631. sqq. et WAGENAAR, *Vaderl. Historie*. Dl. XIII. p. 443. sqq.

3) MARTENS, *Précis du droit des gens* cct. p. 351.

quod in lege maritima, a PHILIPPO II, Hispaniae rege, 1563 Belgis data, constitutum erat. Praefecti enim navium prohibebantur »Castella et loca munita peregrinorum Principum primum salutare, cum aplustri, Hispaniae insignibus decorato.” Indignum prorsus dicendum est promissum illud a Francis duci Florentino a^o 1668 extortum, ut castellum Livornense naves Francicas primum salutaret. Sunt illa metus et oppressionis non vero juris principia, cum omnino intra fines, de quibus nunc loquimur, BYNKERSHOEKII effatum valere debeat: »non oportet in mari alterius principis continenti proximo leges dare, sed accipere 1).” Patet igitur ex omnibus, quae de territorio maritimo ac de plenissima marium exterorum libertate dicta sunt, omnem salutationem, quam primum quis extra fines, (quo tandem modo definitos) pervenerit, cessare debere, cum ibi nullus principatus sit agnoscendus. Honores illi hoc loco merae sunt civilitatis 2).

Inter jura civitatibus in territorio maritimo competentia, profecto referendum est jus piscationem ordinandi, tam piscationem proprie ita dictam, quam coralliorum, concharum, electri unionumque. Quod attinet ad piscationem in mari aperto, putamus eam a gente aliqua occupari posse et possideri. Quaerimus cum VATTELIO 3), quis dubitaret, an unionum piscatio prope *Bahrem* et *Ceylon*, majori minorive distantia a litoribus, licet extra fines territorii maritimi, alicujus populi propria fieri possit? Ubi vero populus, per aliquod tempus piscatione illa usus, postea eam relinquit, rursus fit res nullius, quae omnibus patet. Omnia igitur jura a gente in piscationem acquisita extra

1) *De dom. maris*. C. 4. fine.

2) PINHEIRO-FERREIRA in adnotatione ad MARTENSII opus, *Précis du droit des gens* cet. p. 451.

3) *Droit des gens*. Liv. I. ch. 23. § 287.

lines maritimos, alias nullo modo obstringere possunt, nisi pactis sint agnita. Quibus etiam fines illi latius extendi possunt. Cujus rei exemplum jam vidimus in conventionione Britanniam inter et Franciam. Sic quoque pactum Britanniam inter et Hispaniam a^o 1790 est ictum. Hispania nempe contendebat, totam oram Americae Septentrionalis, quae vergit ad Septentrionem, usque ad *Prince Williams Sond*, sexagesimo primo gradu latitudinis, suam esse, quippe quae primum ab iis detecta atque diu possessa fuisset. Possessionem illam Angli dicebant usurpationem principiis juris naturalis contrariam; his tandem diremta est pacto, quo cautum: ne utriusque civitatis subditi turbarentur in navigatione et piscatione in Oceano Australi, neve sedes collocarent in oris nondum occupatis, his conditionibus; 1^o ut Britanorum navigatio et piscatio non inserviret commercio illicito cum Hispanorum coloniis; 2^o ut nulli Britanniae subditi navigarent vel piscarentur intra distantiam 10 miliarium a litore quolibet a Hispanis occupato 1). Liquet tamen has conventiones aliis gentibus non obstare, quominus in mari illo piscentur, modo non invadant territorium maritimum alienum. Piscationes vero in mari vasto sive aperto, uti halecum et balaenarum omnibus patere secundum jus gentium naturale luce est clarius, neque jure Europaeo aliter hac de re censetur. Superioribus tamen saeculis ansam praebuerunt litibus acerrimis nonnunquam etiam bellis, inprimis halecum piscationes prope Scotiae oras, nostram Rempublicam inter et Angliae reges. Pacta hac de re inita sunt multa. De balaenarum piscatione in Oceano

1) Vid. WHEATON, *Int. law*. Vol. I. p. 211. Lis proprie orta est de nonnullis navibus Britannicis, a Hispanis captis in sinu vulgo *the Nootka Sound* dicto. Vid. etiam THIERS, *Histoire de la révolution Française*. Bruxelles chez WOUTERS. 1845. Vol. I. p. 141.

Boreali controversiae ortae sunt inter Rempubicam nostram, Angliam, Franciam et Daniam 1). In quibus omnibus jus liberae piscationis naturale a nostratibus est assertum, quod imprimis videre licet ex disceptationibus a° 1610 Londini 2) et 1733 cum Dania habitis. Jure hodierno omnes gentes liberam exercent piscationem. Sic indiscriminatim ad syrtes Terrae Novae (*Newfoundland*) accedunt, ut ibi pisces, *Kabeljaauw* dictos 3), capiant. Balaenae quoque per totum oceanum capiuntur, et nemo est, qui alteri hoc impedire conetur. Leges, quibus definitur tempus inchoandae piscationis, ceteraque a qualibet gente constitui solent 4), et hac de re gentes plerumque inter se conveniunt. — Quae breviter diximus de piscationibus aliisque juribus a gentibus in territorio maritimo exercendis, non fecimus eo consilio, ut omnia ista jura accurate exponeremus, quod profecto

1) Vid. pacta hac de re inita apud KLUIT, *Historiae foederum Belgii foederati primae lineae*. parte II. passim.

2) Vid. de hac controversia Cl. G. G. VREEDE; *Vrijheid van haringvaart en visscherij*, in *Bijdragen voor Vaderl. Geschied. en Oudheidk.* door I. A. NIJHOFF. III. Dl. 1. St. — Vid. etiam PLOOS VAN AMSTEL, *Over het Recht van Commerce* etc. p. 83. sqq. ubi de piscatione haeccum nostra breviter sed acute disputatur. — Cf. quoque F. G. FLEGER, *de pristina libertate Belgarum sub principibus quam maxime Hollandis et Zeelandis, commercandi et piscandi per mare Septentrionale et ad oras Magnae Britanniae, pactis etiam sancita*. Lugd. Bat. 1791.

3) *Gadus morhua* (LINNÆUS).

4) Sic quod ad patriam nostram attinet hujusmodi leges et edicta regia inveniuntur in *Staatsblad van het Koninkrijk der Nederlanden*, nominatim autem: *Besluit van 19 Maart 1815, No. 14, houdende bepalingen omtrent de premiën welke uit 's lands kas aan de Groenlands- en straat Davids-vaarders zullen worden uitgelooft*. — *Wet d. d. m. 30 April 1815, houdende dispensatie van art. 57 der Wet van 28 Julij 1801, nopens de Haringvisscherij*. — *Wet van 12 Maart 1818, op de uitoefening der grootte visscherij*, Staatsbl. No. 15. — De tempore piscationis inchoandae in hac lege agitur, art. 13. 26. *Besluit van 9 Juni 1818*.

nos nimis ab argumento nostro diverteret, sed quia ad quaestionem nostram omnino pertinere nobis visum est exponere, primum quatenus, quod ad distantiam, aquae dici possint gentis alicujus esse, deinde, quae praecipua jura gentibus in hoc territorio competant.

Quibus juribus expositis, videamus porro, quatenam maris partes jure gentium Europaeo, praeter eas, quas diximus ad territorium pertinere censeantur. HEFFTER statuit: »*dasz das Staatseigenthum, oder was gleichbedeutend ist, die Souveränität jedes Landes sich ausdehnt auf alle Seeinbrüche in das frühere Landgebiet, solange sie in einer ausschließlichen Herrschaft behalten werden.*” Inter has aquas nominantur in littore Borussiae Orientalis aquae, Germanis *das Alte Haf, Friesch Haf* et *Curisch Haf* 1). Ad Britanniam pertinere censetur fretum Sancti Georgii; ad Turciam mare Marmoricum 2); ad patriam nostram recessus in litore Frisiaco, uti *de Wadden, de Lauwerzee, de Dollart*, atque imprimis mare Flevum, quorum possessio tanquam partium ipsius territorii nunquam in dubium fuit vocata 3). Ratio, cur mare Flevum semper ita habitum fuerit, invenitur apud GROTIUM 4), qui: cum hoc mare, inquit, pars maris Germanici dici nequeat, sed congregatio aquarum internarum, quae magnis aestibus ac diluviis terrarum, lapsu temporis crevit, visum est pertinere ad populos adjacentes. Quare inter Hollandiam et Westfrisiam ab una et Transisalaniem ab altera parte maris Flevis di-

1) KLÜBER, *Droit des gens moderne de l'Europe*. p. 201. note b.

2) MARTENS, *Précis etc.* L. II. ch. 1. p. 42.

3) HEFFTER, p. 134. MARTENS, *Précis etc.* L. II. ch. 1. § 42. GÜNTHER th. II. p. 54. BYNKERSH. *De dom. maris*. C. 7. KLÜBER, *Droit des gens etc.* p. 201.

4) *Inleiding tot de Hollandsche Regtsgeleerdheid*. Boek II. dl. 1 et 4.

visio facta est. Exteri igitur nunquam contendere potuerunt sibi in tali aqua jus esse; sed inter varias Belgii provincias, initio inter earum civitates liberas, hac de re lites ortae sunt, imprimis quod ad piscatum et telonea 1). Hoc jam patet ex privilegio quodam a PHILIPPO, Burgundiae duce, die 16 m. Maji a^o 1452, Amstelodamensibus concesso, quo iis permittitur teloneum exigere a navibus hoc mare pernavigantibus; quod privilegium iis postea ademptum est, quoniam diutius Hispaniae partes secuti essent; ac tum Enchusanis datum 2). Sic quoque ab ARNOLDO, Gelriae duce, Harderovicenis fuit concessum in mari piscari ad quinque miliarium distantiam. Frisii autem postquam Hispanorum jugum excusserant, idem sibi jus in hoc mare quod reliquis esse putarunt. Hoc fuit confirmatum decisione arbitratorum, d. d. 4. m. Septembris 1601, qua solutione teloneorum liberati sunt. Nunc tamen, uti diximus, mare illud est revera pars territorii nostri.

Tertio loco ad gentis territorium pertinent omnes portus, sinus ac loca, ad quae naves adpellunt, aut arte facta aut a natura constituta 3). Hoc sequitur ex principio, territorium civitatis ad aliquam distantiam a litoribus extendi. Praeterea loca illa plerumque castellis vel praesidiis defenduntur, custodiuntur, atque igitur semper revera possidentur.

Postremo ad territorium referri volumus maria, quaqua- versus territorio civitatis inclusa, a quorum aditu exteri facile arceri possint. Haec autem maria raro inveniuntur. Inter ea numeranda sunt Palus Maeoticus: quod tamen scriptores hodierni non faciunt. Sed quis Russiam probi-

1) Mr. J. SCHRASSERT, *Harderovicum antiquum*. Harderw. 1732. Hoofdst. 6.

2) BYNKERSH. *De dom. maris*. C. 7.

3) HEFFTER, *das Völkerr. der Gegenwart*. p. 133.

beat, ut hoc mare consideret lacum internum atque aliis prorsus claudat? In censum etiam venit mare Caspium, quod omni parte terra inclusum, aliis gentibus non patet, sed populis tantum ad oras habitantibus.

Supersunt freta. Vidimus parte I, freta secundum multorum scriptorum sententiam, quae aditum ex mari libero in mare liberum dent, jure gentium naturali, quod ad innoxium transitum pertinet, omnibus patere, salvis teloneis ad navigationem promovendam necessariis, atque hoc item valere de fretis, quae vi bellicorum instrumentorum revera imperio dominioque civitatis subjecta dici possunt. Quod principium avaritia quorundam principum in detrimentum liberae aliorum populorum mercaturae subinde plus aequo fuit minutum, quin laesum ac violatum. Inter freta libera nominatur fretum Herculis (*Estrecho de Gibraltar*) scil. extra bellicorum instrumentorum vim 1). Contra a plerisque scriptoribus non libera dicuntur freta Oresunda et Sinus Codanus (*Gr. en Kl. Belt*), quae regi Daniae propria esse censentur 2). Oresunda est fretum angustum Seelandiam insulam inter atque litus Sueciae, circa novem miliaria longum, quatuor latum prope Hafniam (*Kopenhagen*) et dimidia parte milliarii a castello Helsingor distans. Vada Oresundae prope Scaniae oram naves vim instrumentorum bellicorum Castelli Cronenburgensis subire cogunt.

Opportuno hujus loci situ Dani inde a primis temporibus usi sunt ad telonea exigenda, et sibi totum Oresundae imperium ac Sinus Codani, inter insulas Seelandiam et Funen, vindicandum. Hoc imperium secundum scriptores Danicos nititur possessione hominum memoriam effugiente,

1) MARTENS, *Précis* cet. Liv. II. ch. 1. § 42. GÜNTHER, Th. II. p. 54.

2) IDEM. l. l. WHEATON, *Int. law.* Vol. I. p. 222. GÜNTHER, Th. II. p. 53. KLÜBER, *Droit des gens* cet. § 131 a.

pactisque aliis post alia hac de re initis 1). Praeterea Dani per multa saecula, litora ab utraque Oresundae parte possederunt. Primum pace, die 13. m. Augusti anni 1645, Christianopoli (*Brömsebro*) inita, CHRISTIANUM IV, Daniae regem inter et CHRISTINAM Sueciae reginam, cautum est, ut Suecis prorsus liber esset transitus per Oresundam et Sinum Codanum 2). Pace, die $\frac{26 \text{ Februar.}}{8 \text{ Martii}}$ a. 1658, Roeskildae inita, FREDERICUM III inter et CAROLUM GUSTAVUM X, confirmata Suecis a parte Danorum regionis Scaniae possessione, simul expresse cautum est, ut liber transitus per dicta freta illis maneret. Quae concessionem confirmatae sunt conventionem a. 1660, FREDERICUM III inter et CAROLUM XI, qua constitutum est, ut Suecia nullum unquam jus haberet in Oresundae telonea, sed contenta esset 3500 thaleris imperialibus (*Reichsthaler*), quotannis a Daniae rege solvendis, ad lumina in oris Sueciae reficienda et conservanda. Pacis tamen a. 1720 Holmiae inita articulo 9, juri suo liberi transitus et teloneorum immunitatis Sueci renuntiarunt, atque fuit constitutum, ut ab hoc inde tempore Sueci eadem solverent telonea et portoria, quae et aliae gentes amicae 3). Quod Danorum jus telonea exigendi jam a. 1368, agnitum est pacto cum Hanseatis inito 4), et a. 1490 pacto, HENRICUM VII Britanniae regem inter et JOANNEM Daniae regem, HENRICUS naves Anglicas per Magnum Sinum Codanum navigare vetuit, nisi necessitate co-

1) WHEATON, *Histoire des progrès* cet. p. 106.

2) De pactis a variis gentibus cum Danis initis omnino vid. H. C. DE REEDTZ, *Répertoire des traités conclus par la couronne de Danemarck*, etc. Göttingue chez DIETERICH. 1826. p. 91. 103. 180. 53. et passim.

3) Et sic, uti recte WHEATON dicit: »*la Suède a payé l'amende de l'ambition effrénée de CHARLES XII.*»

4) Ita affirmat WHEATON, *Elem. of Int. law.* Vol. 1. p. 222. pactum tamen in opere Nobil. DE REEDTZ invenire non potuimus.

actas, ac tum urbi Wyborg eadem vectigalia solvi jussit, quae alioquin castello Helsingor solvenda essent. Sic foedere Spirensi inter imperatorem CAROLUM V et CHRISTIANUM III, Daniae regem, cautum fuit, ut a navibus Belgicis portoria solverentur perexigua 1). Quod pactum, die 13. m. Augusti a. 1645, nova conventione CHRISTIANUM IV inter et Ordines Generales denuo est confirmatum. Tabulae vero porteriorum (*tarief*), a Daniae regibus pro lubitu mutatae et auctae, sub finem saeculi decimi sexti atque initio decimi septimi multis controversiis ansam praebuerunt, et pacta inita sunt inter Hollandiam, urbes Hanseaticas et Sueciam ad commercia communia tuenda. Denique tabulae illae porteriorum conventione Christianopoli a. 1645, CHRISTIANUM IV inter ac Ordines Belgii Foederati in perpetuum definitae sunt, atque deinde norma fuerunt constituendorum porteriorum ab aliis quoque amicis gentibus solvendorum. Populi enim, qui hoc privilegio non utuntur, majora solvunt portoria.

Secundo loco non libera et Turcarum imperio propria dicuntur freta, quae ad mare Nigrum dant aditum; scil. Hellespontus et Bosporus 2). Turcae principiorum juris gentium inscii, freta illa prorsus clausa habebant; et hoc jure facere potuerunt, quamdiu mare Nigrum, totum eorum territorio circumdatum, mare fuit clausum. — Russi vero, qui saeculo praecedenti regiones possidere coeperant ad maris Nigri oras, tota Chersoneso Taurica sive Crimea iis a. 1784 a Turcis concessa, liberam quoque navigationem per hoc mare nacti sunt. Sed vel sic tamen liber transitus per dicta freta nunc a Turcis ut antea negabatur, quod

1) Vid. Cl. G. G. VREEDE, *Nederland en Zweden*. 1. afl. p. 7.

2) De toto hoc argumento vid. omnino TH. VAN HOORN, *Disputatio de navigatione et mercatura in mari Nigro*. Lugd. Bat. 1834.

occasionem praebuit pactis, quibus Europae gentes sibi acquirere studuerunt, quod armorum vi difficile vel plane non impetrare potuissent, quodque jure gentium naturali omnibus patebat 1). Pleraque gentes Europaeae jam antea cum Turcis pacta de commerciis et mercatura inierant, atque nonnullis libera navigatio per mare Nigrum fuerat concessa. — Sic liber transitus Britannis aliisque sub eorum vexillo navigantibus concessus est pacto a JACOBO I a^o. 1606 cum Turcis inito, uti licuit etiam mercaturam facere terra marique in Moscoviam per fluvium Tanain. Praeterca eodem pacto cautum est, ut, si naves Angliae, Constantinopolin tendentes, tempestate cogerentur appellere Caffam, hoc iis prorsus esset liberum. Quod pactum confirmatum est a^o. 1641, CAROLUM I inter et AMURATHUM IV, renovatum autem a^o. 1675 inter CAROLUM II et MUHAMMEDEM IV. — Ita a^o. 1612 fuerat ictum foedus a nostratibus cum ACHMET-CHAN, opera CORNELII HAGAE 2), Oratoris nostri, quo mercatoribus et omnibus Batavis concessum est merces emere easque Trebisondam et Caffam vehere atque in omnia imperii Turcici loca ad mare Nigrum sita, uti quoque in omnes Russiae urbes. Hoc pactum renovatum est a^o 1680 cum imperatore MUHAMMEDE IV 3). Austriacis quoque concessa est navigatio at

1) Jura, quibus Turcae in fretis illis usi sunt, a celeberrimo scriptore Italo dicuntur: »*Ordini arbitrarii, inetti e capricciosi, giusta lo spirito della sua legislazione, e che sono causa di tanti desapori e note diplomatiche.*» Vid. MELCHIORRE GIOJA, *Philosophia della Statistica*, cet. Milano 1829. Vol. I. p. 96.

2) Vid. documenta de legatione CORNELII HAGAE, allata a Cl. KLUIT, in *Indice foederum chronologico*. N^o. 269.

3) Quod ad patriam nostram pertinet haud indignum videtur memorare, veteres illas stipulationes denno esse confirmatas pacto mercatorio d. 14. m. Martii 1840, nostrum regnum inter et Turciam inito. Vid. *Staatsblad* 1840. N^o. 69.

valde restricta 1), per mare Nigrum, pace Passarovicensi, die 21. m. Julii aⁱ 1718 CAROLUM VI inter et ACHMETEM inita. Quae conventiones factae sunt eo tempore, quo Russi nondum mari Nigro adjacebant, et Turcis revera facultas erat navigationem et commercium per dictum mare pro lubitu impediendi vel permittendi. Cum autem Russi, PETRO MAGNO et ANNA imperantibus, frustra studuissent ditionem suam ad maris Nigri oras extendere, hoc tandem CATHARINAE II feliciter successit. Pace enim Kainardgensi, die 21 m. Julii aⁱ 1774, a Turcis ei concessa sunt urbs Azoph, multaue alia loca in Taurica Chersoneso, una cum libera per mare Nigrum navigatione. Occupatione Chersonesi Tauricae a^o 1783, qua Russia magnam ad maris Nigri oras potentiam nacta est, mercatura et navigatio efflorescere coeperunt, inprimis postquam CATHARINA II, die 22. m. Febr. aⁱ 1784 promulgavit edictum (*Ukase*), quo portus Chersonesi, Sevastopoleos et Caffae omnibus genti-

1) Vid. *Abrégé de l'histoire des Traités de paix entre les puissances de l'Europe depuis la paix de Westfalie*, par Mr. KOCH. Tom. IV. p. 50. art. 13. hujus pacis ita se habebat: *«Il est permis, de part et d'autre, aux marchands et aux négocians d'exercer, en toute liberté, leur commerce dans les deux empires. Les sujets de l'empereur, de quelque nation qu'ils soient, pourront librement trafiquer, par terre et par mer, dans tous les états du grand-Seigneur, en payant les droits de douane. Ils jouiront de la même faveur et protection dont jouissent les autres nations chrétiennes affranchies de tribut.»* Articulus tamen ille restrictus esse videtur articulis 2, 4 et 5 conventionis mercatoriae, d. d. 27 m. Julii ejusdem anni, quibus cavebatur: *«que les marchands impériaux pourront conduire leurs marchandises sur le Danube à Widzén, Rudschiok»* cet. *«que sans pouvoir entrer avec leurs batimens dans le Pont-Euxin, il leur sera permis de louer des vaisseaux turcs à Ibrail.»* cet., *«à l'effet d'y charger leurs marchandises et de les faire transporter de là dans la Crimée et dans d'autres ports du Pont-Euxin,»* cet. — De pace Passarovicensi etiam conferri licet K. VON ROTTECK, *Allgemeine Geschichte u. s. w.* Th. VIII. p. 297.

bus Russiae amicis aperuit. Turcae tamen transitum per Bosporum et Hellespontum omnibus modis impedire enixi sunt. Ceterae gentes vero in dies magis urgebant, ut navigatio libera per freta illa atque per mare Nigrum iis concederetur. Quod tandem Britanni impetrarunt die 30. m. Octobri 1799. Franci pace Parisiensi, die 25. m. Junii 1802, cujus art. 2 ita sonat: »*La sublime Porte consent à ce que les bâtimens marchands Français aient à l'avenir le droit incontestable d'entrer dans la mer Noire, et d'y naviguer librement* 1);” cet. Reliqui etiam Europae populi hanc liberam navigationem et transitum per Hellespontum et Bosporum a Turcis obtinuisse videntur. Quod patet e tabula, exhibente naves variarum gentium, quae a° 1817 Odessae portum intrarunt. Borussiae hoc jus peculiari rescripto d. d. 17. m. Julii 1806 concessum est; Sueciae, foedere 28. m. Maji 1827; Hispaniae, mediante Russia, d. 16 m. Octobris 1827. Hisce pactis plerumque cautum fuit, quantum a qualibet nave per freta transeunte solvendum esset, item ut literas commeatus (*firmans*) sibi dari curarent, quibus tutum fieret iter. Quibus conventionibus gentes Europaeae Turcarum jus liberum per Hellespontum transitum negandi impediendique non quidem agnoverunt, sed potius ad evitandas molestias navigationem constituere voluisse videntur. Cum igitur Turcae perrexerunt mercaturam et navigationem omnibus modis vexare et restringere, haec primaria causa belli a° 1828 cum Russis fuit. Finito hoc Russis tam glorioso bello, pace 14. m. Septembris 1829, Hadrianopoli inita, Russiae imperator causam agens totius humanitatis, art. 7, stipulatus est liberam ac plenam navigationem, tam per Hellespon-

1) Vid. *Recueil manuel et pratique de Traités* cet. par CH. DE MARTENS, et FEED. DE CUSSEY. Leipzig 1846. Vol. II. p. 279.

tum et Bosporum quam per mare Nigrum omnibus gentibus Imperator Turcarum (*la sublime Porte*) articulo 7 hujus pacti sese obligavit: »à veiller soigneusement à ce que le commerce et la navigation de la mer Noire en particulier ne puissent éprouver aucune entrave de quelque nature que ce soit. A cet effet elle reconnaît et déclare le passage du canal de Constantinople et du détroit des Dardanelles entièrement libre et ouvert aux bâtiments Russes;” — atque deinde eodem articulo: »en vertu du même principe le passage du canal de Constantinople et du détroit des Dardanelles est déclaré libre et ouvert à tous les bâtiments marchands des puissances, qui se trouvent en état de paix avec la sublime porte 1) cet.” Praeterea solenniter sese obstrinxit, ut nunquam naves per freta illa transeuntes detineret, ac Russiae in posterum jus tribuit omnem hujus foederis violationem pro actu hostili habendi, statimque jure vindictae in Ottomanicum imperium utendi. Post hanc pacem Reipublicae quoque liberae Americae Septentrionalis, novo pacto, d. d. 8. m. Maji 1830, liber transitus ibidem fuit concessus.

Quae omnia docent jus innoxii transitus, quod omnibus jure gentium naturali competit, hodie definitum et ab ipsis Turcis agnitum esse, eo effectum, ut freta Bosporus et Hellespontus, licet partes sint imperii Turcici, omnibus pateant.

Multi juris gentium Europaei periti contendunt a° 1815 fretum, vulgo *il faro di Messina*, proprium regi Neapolitano esse factum 2). ORTOLAN hoc negat, contenditque fretum illud esse liberum.

1) De hac pace vid. MARTENS, *Nouveau Recueil des Traités*. Tom. VIII. p. 143.

2) GÜNTHER, *Das Eur. Völkerr. in Fr. Zeiten*. Th. II, p. 54. MARTENS *Précis* cet. L. II, ch. 1, § 42.

Ita olim GÜNTHERUS et MARTENSIUS mare Aegaeum Turcis proprium dixerunt. Sed postquam mare Nigrum declaratum est liberum, imprimis vero postquam Graecia in liberarum gentium numerum adscita est, vix dubitari potest, quin hoc mare sit apertum. Cur enim Turcis aut Graecis jus esset alios mari illo arcendi 1)? Sic item jure gentium antiquo, Sinus Bothnicus Sueciae proprius esse dicebatur 2). Quamdiu enim Suecia Finlandiam possidebat, sinus iste ab utroque latere quodammodo inclusus erat territorio Suecico. Sed cum pace Friederichshamensi d. 17⁵ m. Septembris aⁱ 1809, provincia illa Russiae sit tradita et hujus ditio facta, qua occasione Sinus Bothnicus finis Sueciam inter et Russiam fuit constitutus, et insulae in sinu sitae pro riparum vicinitate divisae sunt, sinus ille non amplius hujus illiusve proprius esse sed omnibus patuisse censi debet 3). Unde nulla manere videtur dubitatio de sinu Finlandico (*Golf van Finland*); de quo tamen SCHMALZIUS dicit, adhuc sub iudice litem esse, quemque MARTENSIUS Sueciae tribuit; quo jure nescio, et cum ORTOLAN omnino statuo, ut si cui proprius esse debeat, tum Russiae cum tribuendum, rectius vero liberum esse censendum.

Denique superest, ut videamus de usurpatione quadam Russiae, d. 16⁴ m. Septembris aⁱ 1821, qua jus sibi arrogare studuit in litora Americae Septentrionalis versus Occidentem, quasi in territorii Russici partem, inde a

1) Optime hic ORTOLAN: *«ces prétentions n'ont jamais été érigées en droit, et il n'est plus même possible, qu'elles subsistent à présent depuis l'émancipation de la Grèce.»* Vol. I, p. 168.

2) GÜNTHER, Th. II, p. 53.

3) HEFFTER, *Das Eur. Völkerr. der Gegenw.* p. 134. MARTENS, *Nouveau Recueil.* Tom. I, p. 19. Tom. IV p. 33.

freto, Americam inter et Asiam, vulgo *de Behringstraat*, usque ad 51° longitudinis Borealis, et eodem modo in insulas Aleuticas (*de Aleutische eilanden*) litori Siberiae Orientalis adjacentes, et in insulas Curiles (*de Kurilen*), sitas inde a dicto freto usque ad promontorium Meridionale (*de Zuidkaap*) in insula *Ooroop*, 45°, 51' latitudinis Borealis. Mare inter priores illas insulas et litora Americae et Asiae vulgo dicitur *de zee van Kamschatka*; quod autem inter posteriores insulas fluit et litora Asiae, vocatur *Zee van Ochotsk*. ALEXANDER, Russiae imperator, vetuit, ne naves aliarum gentium circa insulas, portus, sinus, vel intra fines a se constitutos navigarent vel mercaturam exercerent; neve iis liceret ad colonias Russicas appellere vel accedere intra distantiam centum milliarium. Merces autem navium, quae contra haec peccavissent, fisco cederent. Jura Russiae in hoc mare niti dicebantur titulo primae inventionis, titulo primae occupationis ac possessionis per dimidii saeculi et quod excurrit, spatium. Praeterea a Russis contendebatur hoc mare mari clauso esse equiparandum, et haec omnia fieri ad arcendam mercaturam illicitam e finibus Societatis Russo-Americanae (*de Russisch-Amerikaansche Compagnie*). Quae tamen argumenta ab Americanis impugnata sunt et revera non videntur magni momenti. Quod enim inventionem attinet, constat Britannos, in his JANUM COOK, primum illas terrae partes esse perscrutatos. Quod ad usucapionem, eam in rebus merae facultatis nunquam locum habere, ab omnibus fere juris naturalis scriptoribus agnitum est. Denique Russi nunquam mare illud pernavigasse videntur animo possidendi, atque igitur nunquam eo modo occupasse, ut imperium seu principatum sibi acquirere potuissent. Lis ansam praebuit disceptationibus, compositis conventionem Petropolitana, d. ⁵/₁₇ m. Aprilis a' 1824, qua constitutum, ut subditi ultim-

que in navigatione et piscatione non impedirentur, neque in facultate ad quaelibet litora nondum occupata in Oceano Australi libere appellendi, his conditionibus;

1°. Ut cives et subditi utrimque ad nullum locum appellerent, jam ab altera parte occupatum, nisi impetrata venia.

2°. Ut nec magistratus nec cives Americani ullam coloniam (*Establishment*) deducerent in litus septentrionale Americae neque in insulas adjacentes ad 54°, 40' latitudinis Septentrionalis, nulli autem Russi ad totidem gradus Meridicem versus. Liceret tamen navibus utrimque, maria interiora, sinus et portus perlustrare atque ad eos appellere piscandi et mercandi causa. Liceret etiam ibi mercaturam agere cum indigenis, eamque omnis generis, exceptis tamen aquavita aliisque hujusmodi spiritibus et armis quibusvis caeterisque instrumentis bellicis 1).

Otiosum videtur monere, hanc conventionem unice Russos spectare et Americanos, atque igitur ceteris gentibus obstare non posse.

CAPUT II.

DE FLUMINIBUS.

Postquam igitur maria, portus, sinus, freta et reliquas hujusmodi aquas recensuimus, atque de jure gentium Europaeo circa eas vidimus, restat nobis quaestio: quatenus jure gentium Europaeo flumina gentis sunt, cujus territorium alluunt?

1) Vide totam hanc rem apud WHEATON, *Int. law.* Vol. 1, p. 215 sqq.

Quod attinet ad fluvios intra fines territorii originem ducentes et cursum finientes, hoc nulla laborat difficultate, cum semper jure gentium Europaeo, tam prioribus quam recentioribus temporibus, regulae juris gentium naturalis hic valuerint, atque tales fluvii territorii habitati sint proprii, in quos aliis nullum competeret jus. Haec igitur silentio praetermittimus atque progredimur ad flumina, quae fines inter duas pluresve gentes constituunt vel quae plures alluunt regiones. Videamus igitur, quid jure gentium Europaeo de his statutum sit, et quatenus statuta illa juris naturae praeceptis sint congruentia.

Ante magnam rerum in Francia conversionem a^o 1789, navigatio per flumina communia dici potest mutua gentium invidia ac perversis promovendae mercaturae et prosperitatis publicae principiis, omnibus modis impedita fuisse. Quilibet populus partem fluminis, quatenus territorium suum alluebat, sibi propriam censebat, atque omni modo ea uti, frui, etiam maximo aliorum populorum detrimento, erat primum prudentiae politicae hujus aetatis praeceptum 1).

1) Exemplo sint pacta Hispaniam inter Lusitaniamque, quibus fines earum gentium in America Meridionali constituerentur. Pacto enim d. 13. m. Januarii 1750, JOANNEM V, Lusitaniae regem inter et FERDINANDUM VI, art. VII de flumine *Jaurú* constituitur: ut navigatio per illud flumen Lusitanis solis proprium esset. (*que a navegação do Jaurú devia ser privativa dos Portuguezes*); articulo XVIII cautum est: ut flumina quousque utriusque regno essent communia ab utriusque regni incolis aequae libere navigari possent, sed cum unius alteriusve territorium intrarent, navigatio et piscatio tantum hujus propriae essent gentis. (*que a navegação da parte dos rios por onde ha de passar a fronteira seja comum ás duas nações e geralmente onde as duas margens dos rios pertencrem a uma das duas Corôas, será a navegação privativamente sua, e o mesmo se entenderá da pesca, sendo esto comum as duas nações, onde o fór a navegação*). Sic quoque art. XIII. Conventionis pacis atque finium regundorum, Hispaniam inter Lusitaniamque, d. 1 m. Octbr. 1777. S^t. Ildefonsae

Inde sequebatur, ut in talibus fluminibus vexationes et insolentiae innumeræ perpetrarentur, atque ut altera gens alteri navigationem et transitum, quantum fieri posset, difficillima redderet, exigendis portoriis et omnis generis oneribus imponendis, quorum gravitas, exigendi modus et libido usum et consuetudinem inter gentes plane fere tollere videbantur. Hinc institutio emporiorum et Stapulae, quo omnes merces advehebantur; ibi onus in plures partes dividebatur (*Rompren charge*); hinc collegia nautarum, quibus jus erat per talia flumina, exclusis aliis, navigandi; hinc portoria et vectigalia (*Convooi en Licentgelden*), quae Batavi jam sub finem saeculi sexti decimi non tantum mari sed etiam in fluminibus exigere coeperunt 1).

initae, cautum est, quod ad fluvios utrique regno communes in America Meridionali: ut navigatio per flumina utrique regno communia civibus licita esset eoque, quo flumen hujus illiusve principis ditionem intraret, tum autem gentis propria fieret, quae ripas tenebat. — Ipsius articuli verba sunt: (*Se estipula que a navegaçõ dos rios contiguos a fronteira serã common a ambas as nações até a quello ponto em que as duas margens lhas pertencerem, sendo privativa d'uma ou d'outra em particular no ponto que sãr especialmente proprio e peculiar do dominio de cada uma d'ellas; pondo-se de parte a parte balizas para que os subditos d'uma e d'outra naçõ não o possão ignorar.* — Vid. *Quadro Elementar das relações politicas e diplomaticas de Portugal com as diversas potencias do Mundo*, cet. pelo Visconde DE SANTARÉM. Pariz. 1842. Tom. Segundo. p. 241, 297 sqq.

1) De hisce vectigalibus vid. *Nederl. Placaet-Boeck*. (Amst. 1644.) Dl. I, p. 182 sqq. *Placaet, verbiende te vaeren op Calis, Grevelinghen, Duynkercken*, etc. Item *togen de defraudatiën van de Licenten*. Ibid. p. 204. — PIETER PAULUS, *Verkl. der Unie van Utrecht*. art. 5. qui ea dicit »*Gelei en verlof gelden*." p. 436. Primum instituebantur ad promovendam et tuendam navigationem, uti ex ipsis vocabulis patere videtur, deinde vero, cum omnia in Republ. nostra in pejorem partem vergerent, liberae mercaturae quam maxime obstare coeperunt. Vid. SLINGELANDT, *Staatkundige geschriften*, Dl. IV, p. 213.

Jus Stapulae plerumque urbibus quibusdam privilegii loco dabatur. Jam saeculo tertio decimo urbi Dordracō hoc jus concessum est, quo tempore nullae merces per Rhenum, Mosam, Vahalin, Merwedam, vel Isalam praetervehi poterant, nisi satisfecissent Stapulae Dordracenae 1). Istiusmodi liberi commercii impedimenta non solum Rheni sed etiam aliorum fluminum navigationem restrinxisse, inde patet, quod ad Albim flumen (*de Elbe*) emporia fuere Hamburgum et Magdenburgum; ad Visurgim (*de Weser*) Minda, Munda et Brema; praeterea in Albi, Hamburgum inter et Dresdam, sexaginta milliarium intervallo, triginta solvenda erant telonea. Ita in Visurgi, Mundam inter et Bremam, viginti quatuor milliarium distantia, viginti tria fuere telonea, unde facetum illud cujusdam Germanici professoris dictum: »Germaniae flumina plura telonea quam milliaria computasse.» Quid mirum, istiusmodi vexationes ansam praebuisse perpetuis rixis et contentionibus inter gentes iisdem ripis accolentes? Ita id, quod fons perennis omnium prosperitatis esse poterat, in populorum damnū et detrimentum conversum est. Hisce magis magisque a jure gentium naturali recessum est, quod quam maxime liberis populorum commerciis favet, atque eo fine magna flumina quasi vias publicas constituit. Sed rerum in Francia conversio, qua hominum et gentium opiniones, status, fortunae repente mutata sunt, in disciplinam quoque nostram magnam habuit vim. Libertas et juriū aequalitas in omni vita tum publica tum civili maximis laudibus efferebatur. An potuit aliter, quin hoc principium mox ad argumentum

1) De hisce difficultatibus eff. OPPENHEIM, *Der freie Deutsche Rhein*, primis capitibus et passim. Consult. OF DEN HOEFF, *Iets over Rijnvaart en Rijnhandel* passim. — SIMON STILL, *De opkomst en bloei der Vereenigde Nederlanden*. Amsterdam 1778, p. 32.

nostrum traheretur? Ita evenit, at demum post longam annorum seriem, bellis acerrimis funestam, post cladem innumerabilium hominum et totius fere Europae vastationem, in Congressu, composito ex legatis earum gentium, quae arma gesserant contra eos e quorum medio principium liberae navigationis prodierat.

Nimirum, die 16. m. Novembris 1792, illi, qui tum in Gallia summam rerum tenebant, pronunciarunt: »*que le cours des fleuves est la propriété commune et inaliénable de toutes les contrées arrosées par leurs eaux; qu'une nation ne saurait sans injustice prétendre au droit d'occuper exclusivement le canal d'une rivière et d'empêcher, que les peuples voisins, qui bordent les rivages supérieurs, ne jouissent du même avantage 1).*» Quod effectum deinceps in omnibus bellis enunciavit Francia atque in pacis pactionibus confirmari curavit. Saepe igitur principium per se bonum ac juri gentium naturali congruens, modis nefariis, hoc est bello et armorum vi, aliis gentibus est obtrusum. Sic jam die 16. m. Maji 1795 foedus percussum est Francicam rempublicam inter et Batavam, cujus art. 18 ita sonat: »*La navigation du Rhin, de la Meuse, de l'Escaut, du Hondt et de toutes leurs branches jusqu'à la mer sera libre aux deux nations Française et Batave; les vaisseaux Français et des Provinces Unies y seront indistinctement reçus et aux mêmes conditions 2).*» Paucis annis post, pace Campo-Formiensi

1) *Moniteur*, 1792, N^o. 327, p. 1387. — De toto hoc argumento (de fluminibus) imprimis vid. J. L. CREMER VAN DEN BERGH, *Disputatio historica juris gentium, continens historiam novarum legum de fluminum communium navigatione*. Lugd. Bat. 1835, quam propter doctrinae copiam passim secuti sumus.

2) MARTENS, *Recueil*. Tom. VI, p. 535.

die 17 m. Octobris 1797, (26 Vindemiarum a^o 6) Franciam inter et Austriam, constitutum, ut omnes aquae Austriam inter et rempublicam Cisalpinam, Franciae carissimam filiolum, plane essent liberae, neque ulla portoria in iis solvenda, nec naves bellicae ibi habendae 1). Sed cum propter incredibilem Francorum belli fortunam, in Congressu Rastattiensi, die 9. m. Decembris 1798, fines Francicae reipublicae usque ad sinistram Rheni ripam extensae essent 2), Francorum legati deinde impetrarunt: 1°. Ut libera in Rheno navigatio, qui nunc revera flumen commune erat factus, solis Francis et Germanis pateret; 2°. Ut in utraque Rheni ripa semita, ad navigia per defluentes aquas evehenda, idonea fieret, in neutra autem ripa exstruerentur opera, quae alterutri nocere possent; 3°. Ut transitus ab utraque parte prorsus esset liber; 4°. Ut uterque populus jus liberae navigationis haberet per minores in Rhenum sese effundentes fluvios, nec non per majora Germaniae flumina, nominatim per Danubium. Franci possessionem quoque insularum in Rheno sitarum acquirerunt 3). Quae conditiones, pace Lunevillensi, d. 9. m. Februarii 1801, agnitae sunt 4), et articulo 6 medius Rheni alveus (*Thalweg*) finis habitus; praeterea art. 14 libera in flumine *Etsch* navigatio concedebatur. Postquam autem decreto Imperii Germanici (*Reichsschluss*), d. 10. m. Maji 1801, hoc foedus probatum erat, perque duos annos cum

1) MARTENS, *Recueil*. Tom. VII, p. 212.

2) Pace Campo-Formiensi Franci sinistram Rheni ripam usque ad Andernach jam obtinuerant, sed totius Rheni ripae demum in congressu Rastattiensi iis concessae sunt. Vid. K. VON ROTTECK, *Allgemeine Geschichte* cet. Th. IX, p. 218, 238 et 239. THIERS, *Histoire de la Révolution* (édition WOUTERS). Vol. 9. p. 237.

3) Vid. H. B. OFFENHEIM, *Der freie Deutsche Rhein*, Stuttg. 1842, p. 78. K. VON ROTTECK, *Allgemeine Geschichte*. Th. IX, p. 238.

4) Vid. de hac pace K. VON ROTTECK, o. l. Th. IX, p. 272.

Germanici regni deputatione actum, tandem res composita est decreto d. 25 m. Februarii 1803, (*Reichsdeputations-hauptschluss*), quo §. 39 constituebatur; ut omnia telonea tollerentur et Rhenus flumen Franciae et Germaniae commune esset 1). Praeterea a°. 1804 conventio de Rheni navigatione facta est, eaque a°. 1805 promulgata 2), et quamvis deinde foedere Rhenano, d. 12 m. Julii 1806, sedecim principes a Germanico imperio deflexissent, atque cum Napoleonte foedus offensivum et defensivum iniissent, lex tamen Rhenana vim suam retinuit. Conventione d. 16 m. Februarii 1810, Rhenus flumen Francicum dictus est, et ab imperatore Francico accepit »une Régie des droits réunis.» Hollandia, decreto imperiali d. 9 m. Julii 1810, juncta imperio Francico, vectigalia per totum Rhenum eadem sunt facta.

Vix autem Napoleontis imperium ceciderat jugumque Francicum excusserat Hollandia, quum Princeps Arausiacus (*de Souveraine Vorst*) decretis d. 23 m. Decembris 1813 et 24 m. Martii 1814 constitueret, ut omnia pristina portoria, domanialia, provincialia aliaque denuo solverentur 3). Miro eventu igitur, cum jugo Francico principium rejici videbatur liberae fluminum navigationis. — Aliud tamen Magnis Europae Potestatibus hac de re visum est, et jam pace Parisiensi, d. 30 m. Maji 1814, principia decreti a°. 1792 comprobata sunt quod ad Rhenum 4). — Tandem in congressu Vindobonensi, e legatis octo majorum Europaeacarum gentium, quatuor viri deligebantur, nimirum

1) OPPENHEIM, o. l. p. 83. KLÜBER, *Oeffentliches Recht des Teutschen Bundes*. Francf. 1831, p. 776.

2) Vid. OP DEN HOOFF, *Iets over Rijnvaart*, enz. p. 6.

3) GREMER VAN DEN BERGH, *Diss. laud.* p. 35. OPPENHEIM, o. l. p. 127. OP DEN HOOFF, p. 35.

4) KLÜBER, *Oeffentliches Recht*, cet. p. 78.

legati Franciae, Borussiae, Magnae Britanniae, Austriae, qui specimen legis de libera fluminum navigatione conficerent. Hi quatuorviri opus aggressi sunt d. 2. m. Februarii 1815. Sed cum incipiendum esset a navigatione Rheni et Scaldis, visum est, primum legatos invitare earum gentium, quae ad ripas habitarent, ut deliberationibus interessent. Legati igitur Hollandiae, Bavariae, Badensis, Hassiae Ducalis, Nassaviae et postea Wurtembergiae et Hassiae Electoralis quatuorviris sese adjunxerunt. Hinc d. 24 m. Martii 1815, Vindobonae novem articulos generales publicarunt de navigatione in illis fluminibus, quae plures perfluant vel alluant regiones. Ac tandem foedere d. 9 m. Junii 1815 (*Acte Principal*), art. 118 constituebatur, ut articuli illi eandem haberent vim, ut si foederi ipsi fuissent inserti. Quae juris gentium hodierni fundamenta ita enunciantur;

1°. Navigatio per flumina eorumque brachia (*embranchements*) inde a loco, ubi navigabilia esse incipiant usque in mare prorsus libera sit, omnibusque pateat 1), ita tamen, ut unusquisque subiaceat legibus politicae navigationem spectantibus, maxime aquis et commercio quam minime noxiis 2).

2°. Quaelibet gens ripis adjacens dominium suum eminens in territorio fluviali retineat intra ejus fines, navigationi autem liberae minime obstet. Nulla igitur amplius emporia vel telonea arbitraria instituantur, ac tantum retineantur iis locis ubi navigationi et mercaturae sint necessaria.

3°. Vectigalia navigationi imponantur, nulla habita ratione valoris mercium et qualitatis, neque excedant modum praesenti foedere definiendum.

1) HEFFTER, *Das Eur. Völkerr. der Gegenw.* p. 137. OPPENHEIM, p. 120.

2) WHEATON, *Int. law.* Vol. I, p. 232. Cf. omnino de hisce KLÜBER, *Acten des Wiener Congresses.* Vol. III, p. 24 sqq.

4°. Una eademque politia in navigationem, quousque communis est, mutuo consensu instituitur; quaelibet tamen civitas ripis adjacens curet semitas faciatque, ut fluminum alvei ad navigationem idonei maneant.

Quae tamen placita generalia, pro re nata, non unam recipiebant exceptionem, uti legatus Francicus VON DALBERG animadverterat in: »*projet d'articles de ce qui concerne la navigation des rivières traversant plusieurs territoires.*» Quomodo enim Vistula et Tagus cum omnibus fluminibus interjectis, una eademque lege comprehendi poterant 1)? Videamus igitur, quatenus placita recepta vim habuerint in praecipua Europae et Americae flumina, atque initium faciamus a rege annuum Europaeorum, Rheno.

DE RHENO 2).

I. Principium hic valet, ut navigatio per totum Rheni cursum libera sit, inde a loco ubi flumen navigabile esse incipit usque ad mare, sive sursum, sive deorsum iter facientibus, dummodo obsequantur legibus politiae, quae non solum navigationem et mercaturam tuentur, verum eo etiam tendunt, ut jure aequali gaudeant omnes. — Unde haec Rheni pars dicitur Rhenus conventionalis.

II. Quod attinet curam alvei et riparum, quaelibet gens illis operam dare debet, quousque flumen ejus territorium perfluit; curare e. g. debet, ne ulla impedimenta navigationi obstant.

1) OPPENHEIM, o. l. p. 110.

2) Vid. KLÜBER, *Oeffentliches Recht des Deutschen Bundes*, p. 781 sqq. CRENER VAN DEN BERGH, *Diss. luid.* p. 43 sqq.

III. Omnes naves legi Rhenanae obnoxiae (*les bateaux et nacelles de l'Octroi*) praeter aplustre reipublicae, ad quam pertinent, in eo ostendere debent insigne *Rhenus*, ut appareat se huic navigationi inservire.

IV. Nulla societas sibi jus, exclusis aliis, arrogare potest in fluvio Rheno, aut in quadam ejus parte. Sed unicuique nautae licet, cujuscunque tandem partis Rheni accola sit, nomen dare cuilibet societati nauticae civitatum Rhenanarum.

V. Jura et onera stapulae et ejusmodi alia abrogentur, portoria ob usum riparum et horreorum (*dicta quai et de magasinage*), quam maxime aequalia fiant ac non sine communi consensu augeantur. Impedimenta, quae etiam post legem Rhenanam d. 15 m. Augusti 1804, Moguntiaci et Coloniae manserant (*droits de relache forcée, d'échelle, de rompre charge et d'étapes*) sublata sunt. Hinc navis per totum Rheni cursum, nullo loco tenetur merces, quibus onerata est, in plures partes dividere.

VI. Ratio exigendi portorii et politiac eadem sit per totum flumen, atque extendatur quoad ejus fieri potest, ad brachia et confluentes aquas (*sur les embranchements et confluens de la rivière*). Quae portoria eadem fere manserunt, quae a^o 1804 instituta fuerant. Item conventum est de locis duodecim Argentoratum inter et fines Hollandiae, quibus portoria exigantur. Loca illa constituerentur ubi hoc quam minime mercaturae noceret, ac semel constituta, non sine communi consensu mutarentur. Certa constitueretur norma de vectigali solvendo in fluvio ascendendo et descendendo, cujus normae sive tabulae (*tarief*) applicatio fieri posset, ratione habita intervalli Argentoratum inter Basileam et fines regni nostri. Vectigal, quod dicebatur recognitio (*droit de reconnaissance*) idem mansit, quod in art. 94 legis a^o 1804, non sine communi consensu mutandum, cujusque nulla diminutio concedi possit ab officialibus.

Denique vectigalia (*Douanes*) regionum ripis adjacentium, nihil commune haberent cum portoriis, neque officialium inspectio (*surveillance des douanes*) navigationi noceret.

VII. Horum principiorum tutela mandatur Conventui Supremo legatorum civitatum ad Rheni ripas sitarum. Quod collegium Moguntiaci conventum habeat d. 1. m. Novembris cujusque anni, et pro re nata statuatur, an necesse sit alterum habere conventum tempore verno subsequenti. Praeses sorte designatur ac tantum deliberationes moderatur; alius collegii socius res gestas conscribit. Collegium curat omnia, quae navigationem et mercaturam spectant, atque quotannis amplam narrationem actorum in publicum edit. Vincit in collegio major suffragiorum pars. Simul constitutum est, ut collegium novam de navigatione Rhenana faceret legem, in quam praesentes articuli atque etiam quaecunque conventio d. 15. m. Augusti 1804 bona contineret et utilia, referantur; salva futurae legis confirmatione a parte cujusque civitatis Rhenanae. Hanc autem legem, absente collegio supremo, tuerentur tres magistratus (*Inspecteurs-Généraux*), quorum primus Moguntiaci sedem habet, atque a collegio, vincente suffragiorum numero, creatur. In suffragiis ferendis, legati Borussiae tertiam partem, Franciae sextam, Hollandiae sextam, reliquae vero Germaniae civitates tertiam obtineant. Porro tres praeficiuntur officiales (*sous-Inspecteurs*) curae Rheni superioris, medii et inferioris. Primus a Borussia, secundus alterna vice a Francia vel Hollandia, tertius a reliquis Germaniae civitatibus eligitur. Constituuntur ad vitam, atque si quis male officio suo fungitur, munere potest moveri.

VIII. In locis, quibus exigitur portorium, certus iudicum numerus institueretur, qui prima instantia, omnes de legis Rhenanae interpretatione controversias dirimant. Iudices illi honorarium accipiunt a civitate, intra cujus fines

instituti sunt, et jus dicunt nomine principis sui. Modus procedendi lege est definiendus, sed idem esse debet pro toto Rheno et quantum fieri potest, summarius. Provocatio litigantium fit pro lubitu vel ad Collegium Moguntiacense, vel ad tribunal supremum civitatis in qua tribunal primæ instantiæ residet. Iudices jurare debent, se legem Rhenanam observaturos esse, neque habitare possunt in urbibus nimis a Rheno remotis. — Haec igitur fuere placita generalia de libera Rheni navigatione. Sed illorum applicationi multa magnaque obstiterunt. Conventus enim Moguntiacensis, cui, ex constituto Congressus Vindobonensis d. 5. m. Augusti 1816, novae legis confectio mandata erat, septem legatis constans nimirum Franciæ, Badensi, Bavariciæ, Hassiæ, Nassaviæ, Borussiae et Hollandiæ, quique statim Rheni curam suscipere debuerat, eam auctumno demum aⁱ 1817 suscepit. Post multas praevias altercationes, legati tandem a^o 1823 rem ipsam aggressi sunt, sed tum lites vehementes ortae Borussiam inter et Hollandiam, praecipue de duobus hisce argumentis;

1^o. Quænam pars fluminum Neerlandicorum pro Rheni continuatione esset habenda. Borussia contendit, nomine Rheni intelligendas esse omnes aquas navigabiles inde a Basilea usque in mare apertum. Quæ lis composita est Edictis Regis Hollandiæ dd. 10. m. Decembris 1826 et 1. m. Martii 1827, quibus Lecca designabatur Rheni continuatio.

2^o. Essetne permittenda navigatio usque *in mare*, an vero *ad mare*. Cui controversiæ verba Francica »*jusqu'à la mer*» occasionem præbuerunt. A nostra parte acriter contendebatur, verba *usque ad mare* strictissime esse accipienda. Germani contra non ita verba, sed magis mentem conventionis urgebant 1). Haec lis non tantum est mota

1) Mala fides a parte nostra in verborum explicatione ab omnibus fere

Moguntiaci, sed etiam in Congressu Veronensi a WELLINGTONO, Magnae Britanniae legato. Tandem, post multas controversias, d. 31. m. Martii 1831 conventio de navigatione Rhenana inter Hollandiam et reliquas civitates Rhenanas inita est, atque d. 16. m. Junii 1831 ab omnibus rata habita 1). Missa controversia de verbis »*jusqu'à la mer*» (Germanice »*bis in die See*), praeter Leccam etiam Valialis Rheni continuatio designatus est, et usus canalis Vornani concessus. Praeterea cautum, ut si utrumque fluvii brachium innavigabile fieret, Hollandia aliam viam navigabilem praerberet. Universe autem hujus pacti stipulationes nituntur principiis a 1815 constitutis. Loco portorum, quae veniebant nomine *Transitogebühren*, in territorio Hollandico unicum exigitur portorium, majus minusve, prout naves flumen adscendant vel descendant. Magistri navium cum ad alia obligantur, tum ad declarandam mercium quantitatem et qualitatem, uti etiam ad exhibenda documenta, e quibus constet de navis destinatione et origine. Reliquae civitates ad Rheni ripas sitae, sese obstrinxerunt portus liberos (*portsfrancs*) in usum mercaturae Rhenanae designare, quales statim declarati sunt Colonia, Dusseldorpia, Bibericum, Oberlahnstein, Moguntiacum, Manhemia, Spira, Argen-

scriptoribus hodie, etiam Batavis, agnoscitur, et nobis etiam ita persuasum est. Nimis acriter in opusculo recens edito dicitur: »*Il se fit une arme de la rédaction obscure ou erronée de cet article pour le rendre illusoire en soutenant avec une déplorable opiniâtreté et des arguments tout jésuitiques, que le Rhin — n'allait pas jusqu'à la mer,*» cet. Opusculum inscribitur: *La Conférence de Londres et GUILLAUME I, par le Baron SIRTEMA DE GROVESTINS.* Paris 1844, p. 42.

2) OPPENHEIM, *Opusc. laud.* p. 155. KLÜBER, *Oeff. Recht.* p. 782. WHEATON, *Int. law.* Vol. I, p. 236. Conventio invenitur in Diario Authentico (*het Staatsblad van het Koningr, der Ned.* 1831.) et apud VAN HANELVELD, *Ned. Pandecten.* Dl. III.

toratum. Gentibus ad ripas confluentium fluviorum sitis, iisdem conditionibus, eadem conceduntur beneficia (Art. 11 et 45). Rex Hollandiae navibus Rhenanis eadem jura tribuit, quae navibus Batavis, quod attinet telonea, quae veniunt nomine »*droit de tonnage, de pilotage, de fanaux et d'autres de cette nature*» (art. 12 et 13). — Titulus II continet indicationem locorum, ubi portorium sit exigendum. Praeter duodecim stationes *Rheni conventionalis* inter urbes Brisacum (*Breisach*) et Vesaliam (*Wesel*), navibus descendentibus in regno nostro designantur Lobith, Vreeswijk et Tila, adscendentibus Gorichemum, Tila, Krimpen et Vreeswijk. Ceterum quaelibet navis quinquaginta et plurium centupondiorum capax, solveere tenetur; 1°. certum atque definitum *droit de reconnaissance*. 2°. Jus oneris pro pondere mercium. Titulus III constituit fines inter liberum transitum (*Transitofreiheit*) ac leges de tributis et vectigalibus singulis civitatibus propriis (*Steuer-gesetzen*). Titulus IV agit de magistris, diplomate ad navigationem exercendam muniendis, et de nautis navibusque ad navigationem admittendis. Numerus nautarum non est limitatus. Titulo VI constituuntur praecepta politicae, securitatis navigationis et mercaturae tuendae causa. Titulus VII poenas constituit in legis fraudatores. Titulis VIII et IX agitur de modis, quibus communi consilio custodiatur ac confirmetur hujus conventionis vis et auctoritas. Hac ratione navigatio per flumen Rhenum libera est facta omnibus civitatibus ad ripas jacentibus, licet quaelibet gens imperium exerceat in eam fluvii partem, quae intra territorii fines fluit.

DE ALBI (*Elbe*) 1).

Placita generalia Congressus Vindobonensis in flumine Albi non ita multis laborarunt difficultatibus. Delegati omnium civitatum ad ripas sitarum, nimirum Hanoverae, Austriae, Borussiae, Saxoniae, Daniae (scil. propter Magnum Ducatum Holsatiam et Lauenburgum), Mecklenburg-Schwerin, Anhalt-Bernburg, Anhalt-Köthen, Anhalt-Des-sau et liberae urbis Hamburgensis, Dresdam a° 1819 con-venerunt, et d. 23. m. Junii 1821, ordinata est hujus fluvii navigatio. Quod pactum solenniter est confirma-tum d. 12 m. Decembris 1821, communicatum cum Collegio delegatorum totius Germaniae (*Bondsvergadering*) et inde a d. 1. m. Martii 1822 plenam sortitum est vim. Libera agnita est Albis navigatio, inde a loco ubi naviga-bilis esse incipit (*Melnik*) usque in mare apertum, sive sursum, sive deorsum navigantibus. Applicatio hujus prin-cipii ad fluvios confluentes, pluresque principatus perfluen-tes, libera manet horum fluminum principibus.

Cura alvei, semitarum aliorumque eodem modo est con-stituta, quo in Rheno. Omnia nautarum corpora et collegia (vulgo *gilden*) abrogata sunt. Magister vero navis munitur diplomate a principe suo. Instituta emporii et exoneratio-nis coactae tolluntur, atque duplex instituitur portorium, quorum prius venit nomine *Elbezoll*; posterius nomine *Recognitionsgebühr*, quae portoria tantum communi con-sensu augeri possunt. Praeter haec manent; 1°. Vectigalia; 2°. Pensiones, quae dicuntur *Krahen*, *Wage und Nieder-lage*; 3°. portoria pontium. Cujus conventionis praecepta

1) Vid. GREMER VAN DEN BERGH, *Diss. laud.* p. 95—99. KLÜBER, *Oeff. Recht.* cet. p. 802—804.

custodienda et corrigenda mandantur Collegio (*Revisions-commission*), non perpetuo quale est Collegium Rhenanum, sed de tempore in tempus congregando; salvis tamen juri-
bus Majestaticis (*Hoheitsrechte*), nominatim, quae politiam navigationis spectant.

DE VISURGO (*Weser*) 1).

Ex voluntate Congressus Vindobonensis de Visurgi navigatione inter Borussiam, Hanoveram, Hassiam Electoralem, Brunsvicum, Oldenburgum, Lippiam et liberam civitatem Bremensem, a° 1823 conventio inita est. Quae d. 13. m. Maji 1824 communicata cum Collegio delegatorum totius Germaniae atque in archivo hujus collegii deposita, d. 14. m. Junii 1824 solenniter est confirmata. 1°. Hic quoque principium valet, navigationem in Visurgo esse liberam inde a loco, quo confluentia Werrae et Fuldae navigabilis esse incipit, usque in mare apertum. Navigatio civitatum ad oras jacentium inter se propria est harum subditis. 2°. Omnia nautarum corpora et collegia, juraque emporii et exonerationis coactae, nominatim Bremae, Mindae et Mundae abrogantur. 3°. Ratione mercium unicum exigitur portorium (*Schiffahrtsabgabe*), nomine *Weserzoll*, urbibus ad hoc designatis, decem numero. 4°. At praeter illa manent, quae vulgo dicuntur *Eingang, Ausgang und Verbrauchssteuer, Hafen, Krahn, Waage und Niederlaggebühren*. 5°. Cavetur de naturalibus navigationis impedimentis, de semitis aliisque. 6°. Executio et reformatio hujus conventionis, ubi opus fuerit, mandata est Collegio in aliquam urbem ad ripas sitam conventuro.

1) Vid. CREMER VAN DEN BERGH, *Diss. laud.* p. 100. KLÜBER, *Oeff. Recht.* p. 804.

DE FLUMINIBUS AUSTRIAM INTER ET BAVARIAM.

Idem libertatis principium extensum est conventionē d. 14. m. Aprilis 1816 Monaci (*München*) inita, ad fluvios navigabiles utriusque regno communes. Quae tamen conventio non fuit nova, sed articulum 5 confirmavit pacis d. 13. m. Maji a^o 1779 (*Teschen*), qua disertis dicebatur verbis: »*les rivières mentionnées dans l'article précédent (le Danube, l'Inn et la Salza) seront communes à la Maison d'Autriche et à l'Electeur Palatin, en tant qu'elles touchent les pays cédés; aucune des deux parties contractantes ne pourra y altérer le cours naturel des rivières, ni empêcher la libre navigation et le libre passage des sujets, des marchandises, denrées et effets de l'autre, et il ne sera permis à aucune d'elles, d'y établir de nouveaux péages, et aucun autre droit, quel nom qu'il puisse avoir; les stipulations ci-dessus auront également lieu pour la partie de l'Inn, qui coule entre le baillage de Scharding et le comté de Neubourg, relevant de la Maison d'Autriche 1).*» Quae stipulatio, in Salzam et Salam flumina vim accepit, scil. quatenus haec flumina fines utriusque regni constituunt 2).

DE FLUMINIBUS RUSSIAM INTER, BORUSSIAM ET AUSTRIAM 3).

Russia quoque urgebat applicationem principii in Con-

1) MARTENS, *Recueil* cet. Tom. II, p. 11 et 12.

2) IDEM, *Op. laud.* Tom. VII. p. 15.

3) Vid. CREMER VAN DEN BERGH, *diss. laud.* p. 30 et 102 sqq.

gressu Vindobonensi constituti. Hinc d. $\frac{5}{17}$ m. Augusti 1818 pactum fuit initum Russiam inter et Austriam, solenniter confirmatum d. $\frac{9}{21}$ m. Novembris ejusdem anni, quo conceditur libera navigatio et mercatura in fluviis utrique regno communibus. Simile pactum initum fuit Russiam inter et Borussiam d. 30. m. Martii 1819. Hic quoque agnoscebatur libera navigatio, quae jam et foederibus anterioribus et placitis Congressus Vindobonensis d. 9. m. Junii 1815, art. 14 de fluviis Poloniae erat constituta. Etenim pace Tilsitana 1) inter imperatores Russiae et Franciae d. 7. m. Julii 1807 icta, navigatio per Vistulam (*Weichsel*) prorsus libera facta est. Quod deinde confirmatum art. 20 pacis d. 9. m. Julii Franciae imperatorem inter et Borussiae regem 2). Principium autem illud latius est extensum conventione Elbingensi, d. 13 m. Octobris 1807, inter eosdem principes, cujus art. 19 constitutum est, ut Saxones et incolae Magni Ducatus Varsoviae (*Warschau*) libera gauderent navigatione per flumen Netiziam (*Netze*) inde a vico *Driezen* usque ad flumen Wartam (*Wartha*), atque per Wartam usque ad locum ubi cum Viadro (*Oder*) confluit; per Viadrum inde a vico *Krossen* usque ad ostia et per canalem quoque *Frederici Wilhelmi*; denique etiam a Viadro usque ad Spreham (*Spre*) atque per illam in Havelam ad locum usque, ubi Havela cum Albi confluit 3).

1°. Pactis illis d. $\frac{9}{21}$ m. Novembris 1818 atque d. 30. m. Martii 1819, libera navigatio extensa est ad omnia flumina et canales navigabiles, ad ea quoque, quae in posterum navigabilia fierent.

1) MARTENS, *Supplement* col. IV, p. 439.

2) IDEM, *ibidem*. p. 448.

3) CR. V. D. BERGH, l. I, p. 30. sqq.

2°. Jura in semitas erant communia, earumque cura et refectio principibus contrahentibus mandata.

3°. Perfecta jurium et portoriorum aequalitas sancitur, salvis politiae institutis. Navigatio per Vistulam immunis est ab omnibus portoriis, excepto Borussiae portorio *Schiffs-gefüsgeld* dicto. Cum imperator Austriae nulla exigat portoria in fluviis veteris Poloniae, Austriacis quoque est permissum per flumen *Bug* navigare sine ulla portorii solutione; quo tamen privilegio non utuntur in navigatione per canalem *Muchawitza*, vel intra fines Russiae proprie ita dictae.

4°. Portorium sine communi consensu augeri nequit. Portoria vetera abrogantur, exceptis 1°. illis, quae pro usu pontium exstant, et augeri non possunt; 2°. illis, quae oriuntur ex conventionibus inter navigantes et riparum proprietarios. Ceterum huic conventioni, temporis lapsu finitae, successit nova Russiae et Borussiae inter d. 27. m. Februarii 1825, qua libera per Vistulam, Nieminem (*de Niemen*) et confluentia flumina navigatio confirmata est 1).

DE FLUVIO OURE.

Quod ad cetera Germaniae flumina attinet, pacto quodam finium regundorum inter reges Hollandiae et Borussiae, Aquis Granis (*Aken*) d. 26. m. Junii 1816 constitutum est, ut usus fluvii Oure 2) communis et liber esset utriusque

1) MARTENS, *Suppl.* VII, p. 36, p. 328.

2) Vid. art. 27. hujus conventionis, quam invenimus apud MARTENS, *Nouveau Recueil de Traités* cet. Tom. III. p. 24 sqq. — et apud H. A. VAN DIJK, *Répertoire des traités conclus par la Hollande* cet. Utrecht. KEMINK 1846.

regni incolis. Exstat quoque pactum inter Borussiae regem ac Magnum Ducem Vimariensem, d. 22. m. Sept. 1815, quo Dux declarat, se esse passurum, ut Borussia flumina Unstrud et Gera navigabilia reddat, etiam quousque territorium Magni Ducis alluunt, qui hoc casu nulla portoria exigere potest.

DE AMISIA (*Ems*) 1).

Sic quoque art. 30 conventionis finalis Congressus Vindobonensis (*die Wiener Schlussacte*), inter reges Borussiae et Hanoverae cautum est, ut Amisia atque portus Emdanus (*Emden*) commerciis utriusque subditorum pateret. Deinde: »*que le gouvernement Hanovrien s'engage a faire exécuter à ses frais dans les années 1815 et 1816 les travaux, qu'une commission mixte d'experts, qui sera nommée immédiatement par la Prusse et le Hanovre, jugera nécessaires pour rendre navigable la partie de la rivière de l'Ems, de la frontière de la Prusse jusqu'à son embouchure.*» Porro, ut portoria a Borussia et Hanovera solvenda communi consensu constituerentur, atque tabulae (*tarief*) nonnisi eodem modo mutari vel augeri possent. Eadem privilegia liberae navigationis incolae Hanoverae obtinuerunt in ea Amisiae parte, quae ad Borussiae pertinet, atque in canali *Stecknitz*.

p. 116. — Minus recte Consult. GREMER VAN DEN BERGH, *Diss. saepius laud.* hoc pactum referre voluit ad flumen *Ourthe*, qua in re eum, fortasse ob magnam nominum similitudinem, errasse, ex ipsius conventionis verbis satis patet.

1) De hoc flumine vid. KLÜBER, *Quellensammlung zu dem Oeff. Recht des Teutschen Bundes.* Erlangen 1830. p. 41.

DE FLUMINIBUS RUSSIAM INTER ET SUECIAM.

Quod ad Russiam attinet, post pacem Friedrichshammensem (*Friedrichshamm*) d. 17. m. Septembris 1809 initam 1), qua Finlandiam Russia acquisivit, pactum initum est cum Suecia d. $\frac{9}{20}$ m. Novembris 1810 de navigatione et mercatura in fluviis et canalibus secundum novos fines communibus. Libera declaratur navigatio per canalem inde a portu Reussbamm usque ad mare Balticum, navibus vero Sueciae licet navigare per illam Torneae partem, quae urbem cognominem a Russico separat imperio. Prorsus quoque libera est navigatio per totum cursum fluminum Torneae, Maeonis, Kongamae. Urgente necessitate, navibus licet utraque ripa uti, atque nulla portoria in his fluviis exigi possunt 2). Pacto quoque Petropoli inito d. $\frac{2}{14}$ m. Maji 1826, confirmato Holmiae d. 27. m. Maji et Petropoli $\frac{1 \text{ Julii}}{19 \text{ Junii}}$ ejusdem anni, constitutum est, quod attinet ad finium descriptionem Norvegiae in communibus illis regionibus, vulgo *Foelledsdistricten* dictis, ut, ubicunque flumina Pasvig vel Pasrek et Jacobs Elf constituerent fines Norvegiae et Russiae, cursus aquae lineam separationis repraesentaret. In lacubus a flumine Pasvig factis, linea ducitur per medium et sequitur maximam aquarum profunditatem. Omnes insulae in his fluviis ab Occidente lineae sitae, et similiter in lacu a flumine Pasvig formato, ad Russiam pertinent; ab Oriente autem lineae ad Norvegiam pertinere censentur. Article 9 constituebatur, ut navigatio, tractus arborum et piscatio per flumen Jacobs Elf et per eam partem fluminis Pasvig, quae fines

1) Vid. K. VON ROTTECK, *Allgemeine Geschichte*. Th. IX. p. 407.

2) MARTENS, *Supplément*. cet. V. p. 313.

utriusque regni constituit, liberae sint subditis utriusque regni. Navibus licet ad utramque ripam appellere, quoties securitas navigationis exigit; neque licebit hanc ob causam aliquod vectigal exigere. Navigatio fluminis Pasvig, ubi per territorium Russiae fluit, libera est subditis Norvegiae, qui etiam per hanc fluminis partem ligna in interioribus regionibus caesa, transvehere possunt. Eodem modo navigatio Russiae subditis libera erit inde a loco, ubi territorium Norvegiae ingreditur 1).

DE DANUBIO 2).

Pactum quoque inter Russiam et Austriam initum est d. $\frac{25}{13}$ m. Julii 1840, de libera Danubii navigatione, quousque scil. utrumque imperium alluit. Quo pacto placita Congressus Vindobonensis applicantur. 1°. Constituitur, ut navigatio per totum Danubii cursum, inde a loco ubi per Russicum territorium fluere incipit, ad mare Nigrum usque, et quousque per ditionem Austriaeam fluit, libera sit, neque ulla portoria, nisi communi consensu constituta, exigantur; ut navigatio illa sanitatis politica aliisque restrictionibus, quam fieri possit minime impediatur. Russia se obstringit ostium fluminis Soulinae (*Soulina*) navigabile reddere et eo consilio, loco idoneo, turrem exstruere, atque in ea lumina servare. Cujus rei causa a qualibet nave, quae duos malos habet, flumen descendente solvendae sunt duae piastrae Hispanicae (*talares*); a navibus tres malos habentibus, tres talares; a pyroscaphis tres talares.

1) MARTENS, *Suppl.* X. p. 1015.

2) MEHLHARD, *Nouveau Recueil* oct. Tom. I. p. 208 sqq.

Praeterea a qualibet nave Austriaca sine discrimine unus talaris solvi debet pro luminibus. Denique cautum est, ut hoc pactum per decennium valeret.

DE SCALDI. (*Schelde*) 1).

Inprimis quod ad patriam nostram attinet, videndum est de Mosa et Scaldi fluminibus. De posterioris navigatione libera multae ortae sunt rixae. Pace Westfaliensi a¹ 1648, qua Provinciarum Foederatarum Belgii libertas a rege Hispaniae agnoscebatur, disertis verbis cautum est, ut Scaldis flumen a parte Belgarum, qui versus ostia utramque ripam possidebant, in perpetuum clauderetur. Quae libertatis commerciorum restrictio eatenus forsitan defendi poterat quatenus Scaldis Zeelandiae territorium perfluit, alveus arte factus est, vel operibus et labore nostratium perfectus, qui ripas aggeribus muniverunt 2); dicendum tamen, in illustri hac controversia utilitatis magis quam juris ra-

1) Vid. omnino F. VAN HOGENDORP, *Disputatio de flumine Scaldi clauso*. Lugd. Bat. 1827.

2) Quae argumenta a WHEATONO allata, omnino valere non possunt, si vera sit Belpairii sententia, quam affert CONS. VAN DER HEIM. p. 20. *Diss. de aquae superfluae in Flandria emissione*. — Dicit enim BELPAIRE, *Mémoire sur les changemens, que la côte d'Anvers à Boulogne a subis depuis César jusqu'à nos jours*. »A proprement parler l'Escaut cesse d'exister à quelques lieues au dessous d'Anvers et tout le reste doit être considéré comme bras de mer; car il n'y a aucun rapport entre le fleuve et la masse d'eau qui baigne les îles de la Zelande. Ce sont, ainsi que les bras de la Meuse d'énormes criques par où la mer se jette a chaque marée dans l'intérieur des terres et dans lesquelles l'Escaut et la Meuse trouvent une issue." Inquisitionem, utrum vera an falsa sit haec sententia, cum Consult. VAN DER HEIM nos quoque in medio relinquimus.

tiones valuisse. Cum deinde Belgium Hispanicum pace Ultrajectina a^o 1713 stirpi Germanicae Domus Austriacae obligerat, haec servitus in Scaldi mansit. Imperator JOSEPHUS II primus a^o 1781—1785 tentavit, Scaldis libertatem a Batavis impetrare; sed frustra, et mediantibus Francia et Britannia stipulatio pacis Westfaliensis, conventiono d. 8. m. Novembris 1785 (*Fontainebleau*), confirmata est 1). Quod initio magnae rerum conversionis liberae fluminum navigationis placitum proclamaverant Franci, statim in Scaldi valere voluerunt, ac pace cum Republica Batava d. 16. m. Maji 1795 facta, constitutum est: »*que la navigation du Rhin, de la Meuse, de l'Escaut, du Hondt et de toutes leurs branches jusqu'à la mer, sera libre aux deux nations Française et Batave* 2).” Cum postea provinciae Belgii Meridionalis cum Septentrionalibus junctae regnum Belgii efficerent, de Scaldi, flumine Franciae et nostro regno communi, nullae conventiones factae videntur 3). Verum, cum provinciae Meridionales seditione a regno descivissent, foederi ita dicto 24 articulorum d. 15 m. Novembris 1831, cujus condiciones Rex Hollandiae accepit d. 14 m. Martii 1838, tandem successit novum foedus d. 19 m. Aprilis 1839, cujus art. 9 constitutum est; 1^o. Ut placita generalia Congressus Vindobonensis, quae spectant flumina majora, etiam valerent de fluviis et canalibus navigabilibus, qui Hollandiam et novum Belgii regnum perfluunt vel alluunt. 2^o. Quod ad Scaldim, ut Hollandiae regi liberum esset portorium exigere quoddam

1) WHEATON, *Histoire des progrès du droit des gens en Europe*. Leipz. 1841. p. 210. Imperatoris partes egit LINGUET, *Annales politiques*. No. 88 et 89. Provinciarum Foederatarum MIRABEAU, *Doutes sur la liberté de l'Escaut*.

2) MARTENS, *Recueil* cet. VI. p. 535.

3) CREMER VAN DEN BERGH, *Diss. laud.* p. 105.

foedere definitum, atque ut omnia, quae ad viae aquaticae indices (*loodsen*) vel ad indicia aquatica (*betonning*) infra Antverpiam pertinent, communi consilio ordinarentur, atque administrarentur a delegatis ad hoc nominatis. 3°. Quod ad ceteras aquas et canales Scaldim inter et Rhenum, et quae ab Antverpia ad Rhenum ducunt, cautum est, ut ab utraque parte libera essent ac modicis tantum et aequalibus portoriis subjecta. 4°. Ut navigatio in Mosa esset libera, salvis stipulationibus conventionem Moguntiacensi d. 31 m. Martii 1831, de libera Rheni navigatione factis, donec et de Mosae et de reliquarum aquarum navigatione Hollandiam inter et Belgium peculiari lege conveniret 1). — Quod tandem factum est conventionem d. 5 m. Novembris 1842. Cujus art. 1 declarat medium fluminis (*Thalweg*) *la Sure* fines Belgium inter et Magnum Ducatum Luxemburgensem. Sic quoque art. 9 limes provinciam Antverpiensem inter et Zeelandiam dicitur *»le Thalweg variable de l'Escaut, lequel sera indiqué par une ligne tirée au milieu de deux rangées de bouée.»* Art. 16 cavetur, ne navigatio Scaldis ullis laboret impedimentis. Praeter vectigal art. 9 pacti d. 19 m. Aprilis 1839 constitutum, et omnia, quae ad viae aquaticae indices et indicia aquatica pertinent (*loods, tonnen en bakengelden*), nullae pensiones exigi poterunt. Pro qua immunitate regnum Belgii quotannis summam 10,000 florenorum solvet. — Art. 22. Hollandia se obstringit, canalem *Terneuzen* dictum, navigationi idoneum servare. Quam ob rem Belgium quotannis summam 25,000 florenorum solvet, atque si nova opera, a Batavis in hujus navigationis commodum suscepta, perfecta sint, 50,000 florenorum. — Quod ad cetera tandem flumina Scaldim inter et Rhenum pertinet, articulis 41 et

1) WHEATON, *Histoire des progrès* cet. p. 425.

49 constitutum est, ut naves Belgicae per Rhenum vel alios fluvios in Rhenum sese effundentes, navigantes, iisdem fruantur privilegiis, quibus fluminis accolae ex pacto Morguntiacensi 1). — Denique pactum d. 20 m. Maji 1843 Gandavi initum est inter Belgium et regnum nostrum, quo constituitur atque definitur aquae superfluae in Flandria emissio per sinus Zwinum, Braakmannum, Hellegat aliosque majores minoresve 2).

DE ITALIAE FLUMINIBUS.

In Italia, quantum ad nostram pervenit notitiam, placita Congressus Vindobonensis non admodum sunt extensa. Quibus ex art. 96 actorum (*l'acte principal du Congrès de Vienne*) Padus quoque erat subjiciendus 1). Hoc igitur articulo constitutum est, ut delegati a civitatibus ad ripam sitis eligerentur intra tres menses, qui omnia, quae ad hujus articuli effectum pertinent, curarent. — Ex art. 95 etiam fines imperii Austriaci in Italia a parte Parmae, Placentiae et Guastallae constituere dicebatur Padus, scil. ejus alveus sive *Thalweg*.

1) Vide totam conventionem apud MURHARD, *Nouveau Recueil Général* cet. Tom. III. p. 613—682.

2) De hoc pacto vid. J. D. VAN DER HEIM, *Dissertatio Historico-Politica de aquae superfluae in Flandria emissione, ejusque inter Neerlandiam et Belgium ordinatione per conventionem ad diem 20 Maji 1843 Gandavi factam*. Lugd. Bat. 1844.

1) WHEATON, *Int. law*. Vol. I. p. 233. — KLÜBER, *Quellensammlung*. cet. p. 84.

DE HISPANIAE FLUMINIBUS.

Congressus Vindobonensis placita etiam agnita sunt conventione Lusitaniam inter et Hispaniam d. 23. m. Maji 1840, spectante liberam per flumen Douro navigationem. Articulus I declarat navigationem liberam per totum fluminis cursum subditis utriusque regni, sine ullo discrimine ullave conditione. Portoria sunt exigenda secundum tabulas (*tarief*), quae sine communi consensu augeri vel mutari nequeunt. Art. 8 utriusque regni principes obligationem in se suscipiunt alveum fluminis curandi et reficiendi, ne usquam impedimentum aliquod navigationi obstet, vel quae obstant e medio tollantur. Art. 11. statuit, navigationem per Douro solis esse servandam subditis utriusque regni, et naves Lusitanicas in Hispania et Hispanicas in Lusitania domesticis adsimilat. Ex art. 14. sqq. navium magistri et nautae muniendi sunt diplomate, ut de eorum peritia constet. Art. 18. agit de navibus ratibusque. Naves insigne ferunt aplustre illarum regionum, quarum sunt. Portoria, quae solvenda sunt haec numerantur: 1°. *le droit de transit par le poids du chargement*; 2°. *le droit de station, d'ancorage ou de port*, nomine *droits de ports*. Titulo VIII. agitur de jurisdictione et constituitur, ut tribunalia communia omnes de navigatione controversias dirimant. — Titulo IX. cavetur, ut post biennium inquiratur quatenus conventio haecce finem attigerit. Art. 51 denique statuit, ut certis temporibus ab utroque principe definiendis, collegium convocetur, quod hujus conventionis curam gerat 1).

Sic quoque a°. 1841, Hispaniam inter et Lusitaniam, teste OPPENHEIM 2), lites ortae sunt de libera per Tagum

1) MERNARD, *Nouveau Recueil*. cct. Tom. I. p. 98 sqq.

2) *Der freie Deutsche Rhein*. p. 147.

navigacione, qua de re tamen lucusque nihil peculiare ad nostram pervenit notitiam, neque in foederum et pactorum collectionibus aliquid invenire potuimus.

DE AMERICAE FLUMINIBUS.

In Novo quoque Mundo theoria libertatis navigandi ansam praebuit difficultatibus. Pace enim a^o. 1763 Franciam inter Hispaniam et Britanniam, Canada a Francis, Florida ab Hispanis Britanniae cedebatur. Fines inter possessiones Franciae et Britanniae constituebantur, ducta linea per medium flumen Mississippi, inde ab ejus fontibus usque ad Iberville, et ab hoc vico per flumen illud et lacum Maurepas et Pontchartrain usque ad mare. Libera per Mississippi navigatio simul Britannis restituta est. — Mox autem Luisiana a Francis cessa est Hispanis, et pace Parisiensi a^o. 1783, Florida a Britannis eidem regno est concessa. Agnita Provinciarum foederatarum Americae Septentrionalis libertate, earum incolis peculiari conventionione Britanniam inter et novam Civitatem jus liberae navigationis concessum est. Hispania tamen utramque ripam et ostia fluminis Mississippi possidens, contendebat se flumen claudere posse. Inde disceptationes, quibus Respubl. jura sua defendit, tam ex principiis juris gentium naturalis, quam ex foederibus a^o. 1763 et 1783. — Lis diremta est pacto a^o. 1795 (*San Lorenzo el Real*), quo Rex Catholicus liberam per flumen navigationem confirmavit. Cum deinde eadem Respubl. Luisianam et Floridam ab Hispanis emerit, et totus igitur Mississippi inde a montibus vulgo Rocky mountains, usque ad sinum Mexicanum, territorium perfluat, nemo nunc amplius dubitare potest, quin totum hoc flumen ad territorium pertineat Americanum. — Quaes-

lio non levioris momenti, sed nondum ad liquidum perducta navigationem spectat per flumen St. Lawrence et per magnos Septentrionales lacus (*Ontario, Erie, Superior*) Britanniae et civitatibus foederatis communes. — Respubl. nempe possidet ripas Meridionales horum lacuum et fluminis St. Lawrence, Britannia ripas Septentrionales per totam longitudinem atque ripas Meridionales fluminis inde a 45° Latitudinis ad mare usque. Respubl. etiam per hanc fluminis partem innoxium postulat transitum, quippe uniceam communicationem inter magnos illos lacus et Oceanum, idque defendit his rationibus;

1°. Iisdem argumentis juris gentium naturalis, quibus in quaestione de Mississippi usa est.

2°. Placitis generalibus Congressus Vindobonensis a Magna Britannia quoque agnitis.

3°. Quod navigatio illa ante libertatis Americanae initia omnibus Britanniae subditis aequae patuerit, atque communibus laboribus Canada a°. 1756 Francis crepta esset.

Britannia ad haec respondit;

1°. Hic agi, secundum multorum doctorum sententias, de jure quodam imperfecto, atque concessionem transitus tam periculosam esse, ut principi hanc facultatem pro lubitu concedere vel negare liceat.

2°. Placita Congressus Vindobonensis ex mutuo partium contrahentium consensu fuisse agnita, neque tamen, utpote inter alios acta, Americanis prodesse.

3°. Pristino Britanniae jure uti non posse Americam, quippe quae a°. 1783 libera fuerit declarata, et fines certi inter Rempubl. et Britanniae possessiones constituti. — A proposito tamen Respubl. non destitit, sed, uti supra jam diximus, res ipsa nondum ad liquidum perducta videtur 1).

1) De toto hoc argumento vid. WHEATON, *Int. law.* Vol. I. p. 237–254.

Nuperrime conventione d. 9. m. Augusti 1842 (*Washington*) facta, principium liberae navigationis per fluvios utriusque parti communes, extensum est ad flumen St. John, aliosque fluvios in illud sese effundentes atque fines Rempubl. Americanam inter et Canadam constituentes. Idem Art. 7. constituitur de canalibus in flumen St. Lawrence 1). Postremum memorandum, hisce diebus, pacto Rempubl. Americanam inter et Britanniam ad quaestionem de territorio Oregonis (*Oregon territory*) dirimendam inito, conventum esse, ut libera Britanniae subditis sit navigatio per flumen Columbian (*the Columbia river*) usque ad annum 1850.

Vidimus igitur, quatenam sint novissima de navigatione per flumina communia principia. Vidimus etiam quatenus in pactis foederibusque principia illa ubique fere valeant, quantumque nacta sint auctoritatem. Quae non solum juri gentium naturali consentanea esse, verum etiam eo niti, ostendunt ea, quae supra diximus. Fluvii ipsi, quod ad navigationem attinet, omnibus accolis patent. Gentes vero ripis non adjacentes minime hoc jure possunt gaudere; teste specimine de argumento nostro Congressu Vindobonensi, a Legato Britanno Lord CLANCARTY oblato, sed prorsus improbato ac rejecto. Quod enim volebant Britanni, ut Rhenus inde a loco, ubi navigabilis esse incipit ad mare usque et vice versa esset

1) Articulus ipse ita sonat: »that the channels in the river St. Lawrence on both sides of the long Sault islands and of Barnhart island; the channel in the river Détroit, on both sides of the island of Bois blanc and between that island and both the American and Canada shores; and all the several channels and passages between the various islands lying near the junction of the river St. Clair, with the lake of that name, shall be equally free and open to the ships, vessels and boats of both parties.” — Vid. MURHARD, *Nouveau Recueil* cet. Tom. III.

liber omnibus populis, ut nemo ascendere vel descendere prohiberetur, dummodo politiae leges observaret, summo jure displicuit. — Etenim levis profecto erat spes fore, ut Britanni, pro libera illa Rheni navigatione, Batavis et Germanis eandem in Tamesi concederent. — Jurisdictionem et politiam vidimus mandatam Collegiis, in quibus cujuslibet gentis accolae sedent delegati. — Salva tamen manent cuique civitati in fluvios illos jura imperii. — Supremae potestatis vi omne lucrum e flumine ejusque ripis percipere potest, piscari, aquam haurire, aliaque hujusmodi jura exercere, peregrinis horum omnium usum negare, modo non impediatur liberam navigationem; sic. e. g. non liceret molem in flumine struere, quae navigationi obstaret. — Quae summa civitatis jura atque imperium territorio circumscribuntur, et quidem, ubi flumen fines constituit, medio fluvio, Germanis *Thalweg*.

Quod si ex iis, quae jam dicta sunt, facile cuivis pateat, liberam esse navigationem in praecipuis Europae fluviis, inde tamen non sequitur mercaturam quoque esse liberam, cum cuilibet genti sit jus plenissimum illam arctis limitibus circumscribendi, tributis nempe mercium invehendarum atque evehendarum, quorum solutio atque custodia navigationem nonnunquam valde vexant, ne dicam plane tollunt. Haud difficile tamen est observatu, quam vehementer istiusmodi instituta regionibus gentibusque cum propriis, tum alienis noceant. Adversantur omnino liberae navigationis principiis, quae cum libera mercatura procedere debeant pari passu. — Utinam principes hac in re quoque meliora inveniunt consilia! Utinam sequantur placita et excolant, quae jure gentium hodierno magis magisque dominantur! Utinam placita libertatis universae et humanitatis, nulla ratione, quam dicunt status, obscurata, gentes diversissimas sibi invicem jungant, atque caritas, amicitia, benevolentia

locum obtineant invidiae, inimiciarum, malae fidei, quae generi humano per tot jam saecula tot calamitates attulerunt! Sic demum vincet pulcherrima illa atque gravissima theoria juris gentium naturalis a Grotio vindicata 1): »licere cuivis genti quamvis alteram adire cumque ea negotiari." Sic demum principia de natura et ambitu territorii aquatici, quae in hac nostra disquisitione breviter, at quantum licuit accuratissime exponere conati sumus, fructuosa evadent, confirmabunt regnorum ac populorum amicitias augebuntque eorum prosperitatem.

1) GROTIUS, *de Mari libero*. C. I. — Flumina revera, uti egregie animadvertit auctor Italus, haberi debent: »Veicoli di commercio colla navigazione ed aprendo la comunicazione tra i popoli piu distanti, difondono l'incivilimento e fanno sparire piu avanzi di barbarie." M. GIOJA, *Filosofia della Statistica* Vol. I. p. 97.

T H E S E S.

I.

Testamentaria tutela lege XII tabularum comprehensa non erat.

II.

Bonae fidei possessor fructus tam naturales quam industriales percipiendo suos facit.

III.

Depositarius propter necessarias impensas depositum retinere potest.

IV.

Socius commenditarius, qui societatis negotia gerere coeperit, ex art. 21 C. M. non praeteritis debitis tenetur.

V.

Optime legislator art. 36 C. M. praecepit Regis consensu societati innominatae opus esse.

VI.

Verba art. 599 n^o. 4, G. M. »*volgens de wetten en verordeningen*,” tantum sunt accipienda de legibus et institutis civitatis nostrae.

VII.

Stipulationes nuptiales in fraudem art. 197 Cod. Civ. factae, non sunt nullae, sed tantum ad justum modum redigendae.

VIII.

Usufructuarium dominum fundi, ut praestet, quae dicuntur majores reparationes (*grove reparatien*) cogere non posse, contendo.

IX.

Secundum emtorem, primum venditorem, ut praestet rei evictionem, directo adire non posse arbitror.

X.

Verba art. 238 Cod. Meth. Proce. in R. C. »*op vraagpunten*” significant »*op de gestelde vraagpunten*.”

XI.

Poenae sive capitalis sive corporalis irrogatio publica omni modo improbanda est.

XII.

Optime BECCARIA: » *Perchè le leggi non puniscono l'intenzione, non è però che un delitto che cominci con qualche azione che manifesti la volontà di eseguirlo, non meriti una pena, benchè minore della dovuta all' esecuzione medesima del delitto. L'importanza di prevenire un attentato autorizza una pena; ma siccome tra l'attentato e l'esecuzione vi può essere un intervallo, così la pena maggiore riserbata al delitto consumato può dar luogo al pentimento;*» *quapropter minus recte se habere mihi videtur art. 2 C. P. quo adhuc utimur.*

XIII.

Legislator Francicus, lege lata d. 28 m. Aprilis 1832, hunc articulum 2 emendare studens, rei medelam non attulit systemate, quod venit nomine *des circonstances atténuantes*. Recte igitur reprehenditur a CHAUVEAU, dicente: » *il nous semble que c'est entièrement détourner ce système de son but que de l'employer à rectifier les incriminations de la loi.*»

XIV.

Cum semel Ministerium Publicum actionem ex art. 22, § 2, Cod. Quaest. Crim. instituit, nulla renuntiatio actionem illam perimere potest.

XV.

Restitutio Ordinis Equestris (art. 192 Leg. fund.) temporibus rebusque nostris convenire non videbatur.

The first part of the book is devoted to a general
 description of the country and its inhabitants.
 The second part contains a list of the principal
 towns and cities, with a description of each.
 The third part is a list of the principal
 rivers and lakes, with a description of each.
 The fourth part is a list of the principal
 mountains and hills, with a description of each.
 The fifth part is a list of the principal
 islands and islets, with a description of each.
 The sixth part is a list of the principal
 bays and harbours, with a description of each.
 The seventh part is a list of the principal
 straits and passages, with a description of each.
 The eighth part is a list of the principal
 rivers and lakes, with a description of each.
 The ninth part is a list of the principal
 mountains and hills, with a description of each.
 The tenth part is a list of the principal
 islands and islets, with a description of each.
 The eleventh part is a list of the principal
 bays and harbours, with a description of each.
 The twelfth part is a list of the principal
 straits and passages, with a description of each.

The first part of the book is devoted to a general
 description of the country and its inhabitants.
 The second part contains a list of the principal
 towns and cities, with a description of each.
 The third part is a list of the principal
 rivers and lakes, with a description of each.
 The fourth part is a list of the principal
 mountains and hills, with a description of each.
 The fifth part is a list of the principal
 islands and islets, with a description of each.
 The sixth part is a list of the principal
 bays and harbours, with a description of each.
 The seventh part is a list of the principal
 straits and passages, with a description of each.
 The eighth part is a list of the principal
 rivers and lakes, with a description of each.
 The ninth part is a list of the principal
 mountains and hills, with a description of each.
 The tenth part is a list of the principal
 islands and islets, with a description of each.
 The eleventh part is a list of the principal
 bays and harbours, with a description of each.
 The twelfth part is a list of the principal
 straits and passages, with a description of each.